




DE TEMPORUM ET MODORUM USU AMMIANEO.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

Henri
HENRICUS EHRISMANN

ALSATA.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXXVI.

Darmstadtii typis G. Otto.

PARENTIBVS SACRVM

Darmstadtii typis G. Otto.

PARENTIBVS SACRVM

Inter scriptores christianae fidei non addictos, qui post saeculum II sermone pedestri utebantur, facile princeps est Ammianus Antiochensis, quem sub finem saeculi IV Romae cum omnium plausu rerum gestarum libros ab ipso conscriptos recitasse constat. Quoniam magnopere recedit Ammiani usus loquendi cum universus tum temporum et modorum, verbi syntaxin accuratius perscrutatus sum, praesertim cum nemo, quae ad eam rem pertinent, plane exposuerit. Ipse autem nimis multa ex schedis meis depromere nolui, quoniam quas leges in temporum et modorum usu secuti sint ceteri saeculorum IV et V scriptores Romani, nondum satis exploratum est. Ad syntaxeos Ammianeae usum perquirendum imprimis accesserunt — ut omittam Hauptium, Langenum, Hertzium, Gardthausenum, qui potissimum in Ammiano via critica emendando eminuerunt —

1) Kallenbergus (Quaestiones grammaticae A. diss. inaug. Halensis 1868), qui de usu infinitivi optime disputavit.

2) Hassensteinus (De syntaxi A. M. diss. Regimontana 1877).

3) Dederichsus (Quaestiones Ammianeae grammaticae et criticae; diss. Monasteriensis 1878), qui nonnullas partes syntaxeos verbi attigit.

De Hassensteini commentatione iam Dederichsus recte udicavit, cum diceret (pag. 2): *„qui cum in totam materiam syntacticam inquisiverit, ut nonnulla et ea quidem, quae in altera parte prolata sunt, non tam absolute accurateque explicaret quam in priore dissertationis parte factum est.“* Qua re adductus est Dederichsus, ut nonnulla ab Hassensteino brevius disputata retractaret, atque imprimis condicionales

sententias accurate perquireret; nec dubium est, quin, si simili modo in totum temporum ac modorum usum inquisivisset, omnibus numeris absolutum de his rebus commentarium in lucem editurus fuerit. Quae cum ita sint, equidem syntaxin verbi ab Hassensteino nimis breviter tractatam retractandam suscepi.

Luce clarius apparebit Ammianum non modo, ut hominem natione Graecum et militem Romanum et structuras Graecas adhibuisse et usum linguae vulgaris secutum esse atque inter se permiscuisse, sed etiam modo optimorum scriptorum genus dicendi esse imitatum modo peculiares sibi normas ac saepe absurdas ineptasque licentias constituisse aut a grammatico quodam, cuius opera litteris latinis imbutus esset, constitutas accepisse.

Iam primo libro de temporum usu disseram, atque in priore huius libri parte de temporum, quibus res semel gestae exprimuntur, usu disputabo, in altera parte ceterorum temporum rationem exponam. Altero libro de modorum usu dicam.

LIBER PRIOR.

DE TEMPORUM USU.

CAPUT I.

DE TEMPORUM, QUIBUS RES SEMEL GESTAE EXPRIMUNTUR, USU.

§ 1. INDICATIVUS.

Res gestas ita enarrat Ammianus, ut non omnibus locis eodem utatur tempore. Memorantur enim actiones semel praeteritae ope quattuor formarum:

1) perfecti indicativi,
2) praesentis indicativi,
3) plusquamperfecti indicativi,
4) imperfecti indicativi.

Ex his quattuor temporibus nihil novi inest in indicativo perfecti eodem, quo Graeci aoristo utebantur, modo usurpati

neque in indicativo praesentis quod dicitur historici. Contra ab usu aureae latinitatis Ammianus in usurpandis indicativis imperfecti et plusquamperfecti recedit. Maxime autem illud est memoria dignum, quod haud levis apud Ammianum intercedit differentia inter quattuor illa tempora secundum verbi quod vocatur genus. Etenim ubi passiva aliqua forma usurpatur, saepius praesente vel imperfecto usus est quam perfecto.

a) PERFECTUM AORISTON.

Perfectum a rerum scriptoribus praecipue ponitur, cum res gestas narrant; quamobrem perfectum historicum appellatur. Differt autem ab imperfecto eo, quod hoc actiones praeteritas tamquam tales, quae fiant, durent, repetantur, ad aliam actionem referantur, perfectum tamquam tales, quae factae sint, animo proponit. Perfectum igitur imprimis inservit ad eas res exponendas, quae aut cito perfectae aut ita comparatae sunt, ut duraverint necne, nihil intersit. Saepissime autem perfectum et praesens historicum promiscue ab Ammiano poni infra sub b) exponam. Nunc nonnulla afferam exempla, ubi perfectum et imperfectum inter se ita coniuncta sunt, ut diversa horum temporum vis scite observetur:

18. 2, 1 *haerebat anxius qua vi . . . terras eorum invaderet repentinus, seditque tandem . . . id temptare quod utile probavit eventus;* 20. 9, 3 *Perculsus tamen ardenter cunctatione stringebatur ambigua . . . haesitansque diu . . . flexus est quorundam sententia . . . et iter orientem versus edixit.* 31. 1, 1; 31. 10, 12; 23. 5, 8 *quo omine velut certiore iam spe status prosperioris elatus exultantius incedebat, sed incerto fatu fortunae aliorsum prorupit eventus.*

Iam de singulari quodam huius temporis usu mihi dicendum est. Saepe enim perfectum historicum collocatum legimus, ubi rectius plusquamperfectum ponendum erat. Quod Ammianus de industria fecisse videtur, ut res praeteritas, quae ante alias easque perfectas actae sunt, tamquam per repraesentationem mutato tempore animo nostro proponeret omissa recta temporum ratione. Quapropter eadem fere intercedit differentia inter perfectum historicum et plusquam-

perfectum atque inter praesens historicum et perfectum historicum. Quod iam exemplis probabimus:

16. 12, 15, sqq. *addiderat autem fiduciam nostris consideratio gemina recordantibus quod anno nuper emenso Romanis . . . nec visus est quisquam laris sui defensor nec obvius stetit sed . . . aegre vixere barbari longius amendati, quodque . . . nec resistere ausi nec apparere pacem impetraverunt suppliciter obsecrantes* . . . (16) *postea vero pace data discesserat imperator et . . . gentes iam concordabant et turpissimus ducis . . . digressus ferociam . . . auxit in maius.*

Ubique plusquamperfectum exspectatur, cum res, quae perfecto exprimuntur, ante eas factae sint, quae pracedentibus paragraphis narrantur — ut verbis *„anno nuper emenso“* indicatur — eaedemque ei, qui narrat, quasi plusquamperfectae sint. Videtur autem Ammianus animum in tempora illa praeterita tamquam remittens cum militibus sentire et agere. Itaque facile intellegitur scriptorem perfectum per repraesentationem quandam pro plusquampefecto, cum tempora mutaret, usurpasse. Quod eo clarius aparet, cum § 16 *discesserat* scriptum legamus, quamquam actiones, quae verbis *visus est, stetit, vixere, impetraverunt* enuntiantur, illud *discesserat* praecedunt.

Cf. praeterea 17. 12, 18, 19 *armavit, vicerunt, confugerunt;* 21. 4, 2 *miserat, tradidit, mandavitque;* 22. 13, 3 *statuit, cessit, adhaesere, potuit;* 16. 12, 5, 6 *superavit, vastavit, persultavit, accessit, abiere;* 23. 1, 6; 23, 5, 11 *oblati sunt, discessit.*

b) PRAESENS Q. D. HISTORICUM.

Praesens quod dicitur historicum pro vero perfecto usurpatur, si actiones praeteritae animo eius qui loquitur et animo eius qui audit tamquam praesentes repraesentantur. Ammianus praesens historicum in deliciis habet ac praesertim ita, ut aut series quaedam praesentium exstet, aut — quod saepius fit — perfectum excipiat praesens historicum aut inverso ordine illud ab hoc excipiatur. Atque plerumque quidem praesentis historici forma passiva usus est, cum formam compositam perfecti passivi consulto evitaret. Quod quam verum

sit, intelleges, si numerum praesentium activorum et passivorum per singulos libros sparsorum consideraveris. Veluti in libro XV tredecim praesentia passivi, contra tria pr. activi; in libro XVIII 18/3; in libro XXV 16/3; in libro XXVII 9 praes act. nullum leguntur. Videtur autem scriptori perfectum passivum tamquam vulgaris forma odio fuisse; atque ob eandem causam imperfecto saepe pro perfecto passivi et nonnunquam pro plusquamperfecto utitur:

17. 5, 2 *ideoque . . . pacis amplectitur nomen et condiciones proposuit graves, . . . litteras ad Constantium dedit;* 19. 2, 2 *quinquiens ordine multiplicato scutorum cingitur civitas, ac . . . globi turmarum impleverunt cuncta . . . et . . . loca . . . incedentes ordines occuparunt;* 19. 9, 7 *matrimonium alterius splendidae virginis adfectavit. et . . . ad Persarum vastatorium globum . . . confugit susceptusque aventer, . . . Tamsapori . . . traditur;* 20. 4, 14 *nocte vero coeptante in apertum erupere discidium . . . ad tela convertuntur et manus fremituque ingenti omnes petiverant palatium;* 20. 6, 3 *quieti diem integrum dedit et . . . lucis exordio, signo per flammeum erecto vexillum circumvaditur civitas;* 18. 5, 6 *suscipitur, ferebatur, praedicabat;* 14. 11, 32 *eadem* (scil. *fortuna*) *Mancinum post imperium dedit Numantinis, . . . substravitque feritati Carthaginis Regulum, istius iniquitate Pompeius . . . in Aegypto trucidatur.* 20, 11, 4 *Edessam venit, ibique dum . . . abundantes copias operitur, diu moratus . . egreditur;* 23. 5, 8 *stetit, offertur;* 27. 2, 1 *mittitur . . . accingitur . . . venit . . . exstinxit;* 16. 8, 5, 6 *iubetur . . . respiravit . . . confitetur . . . damnavere*; 27. 8, 3 *disponitur . . . et . . . ire tendebat;* 27. 12, 16 *remittitur . . . oravit;* 17. 4, 14 *intepuit . . . defertur;* 17. 4, 15 *restabat erectio . . . innectuntur . . . locatur . . . superponitur . . . infigitur;* 18. 8, 8 *diffundimur . . . miscemur.*

Haud raro fit, ut, ubi plura verba generis passivi inter se coniuncta sunt, unum perfecti, cetera praesentis historici forma exprimantur; quo usu illud, quod supra dixi, Ammianum formas compositas passivi non adamasse confirmari videtur: 25. 10, 9, 10 *committitur . . . iungitur . . . mittitur . . . mandatum est . . . iubentur;* 20. 4, 3 *Et super auxiliariis*

quidem . . . ocius proficisci Lupicinus conventus est solus, . . . de Scutariis autem . . . excerpere quemque promptissimum et ipse perducere Sintula iubetur; 16. 12, 7 *Iamque solis radiis rutilantibus . . . pedestres copiae . . . educuntur earumque lateri equestres iunctae sunt turmae;* 21. 3, 3 *adgreditur inconsulte Germanos . . . ipse concidit omnium primus, cuius interitu . . . certamen committitur obstinatum et . . . disiecti sunt nostri;* 21. 6, 5 *Habita est . . . Florentii ratio . . . et Anatolio . . . mittitur . . ., cumque Tauro . . . suscepit insignia magistratus;* 21. 12, 4 *conveniens visum est ad deditionem allicere defensores . . ., et . . . ex conloquio re infecta disceditur;* 18. 10, 2 *petit . . . prodidere . . . obtulere . . . eruitur et productae sunt.*

Praesens historicum raro in enuntiationibus secundariis occurrit, excepta temporali coniunctione *dum*, de cuius usu vide infra pag. 47 sqq.

Primum in sententiis relativis verbum aliquod praesente historico efficitur: 19. 1, 8 *numerosas gentes ad arma . . . concitarunt, quarum concursu . . . atrox committitur pugna;* 31. 11, 2 *didicit . . . barbaros . . . revertisse, qui . . . festinant;* 31. 5, 9 *periere . . . praeter ducem . . . qui . . . petit;* 18. 6, 16 *invenimus militem, qui . . . pandit rerum integram fidem docetque;* 15. 8, 18; 31. 8, 9.

Deinde, si libros manuscriptos sequimur, coniunctionem temporalem *cum* quattuor locis praesens historicum indicativi excipit. Sed plus quam verisimile esse hos locos in codicibus corruptos circumferri, quam brevissime potero, ostendam. Iam singulos locos inspiciamus: 20. 2, 1 *quae cum ita geruntur . . ., magistrum reversum . . . obtrectatores excipiunt.*

Codex V scripturam depravatam g e n r e n t u r praebet, quae certe ex archetypo male descripta est pro g e r e r e n t u r. Manus autem secunda eiusdem libri pro nihilo est putanda, quae cum g e n r e n t u r verbum latinum non esse intellexisset, supra litteram *e* paenultimae syllabae *u* scripsit, scilicet emendandi causa. Quamobrem ceteri qui ex Vaticano fluxerunt codices g e r u n t u r praebent. Quae lectio non solum Ammiani usui repugnat, sed etiam minus quadrat in sententiam. Ammianus enim coniunctionem *c u m* ex praesente historico

pendentem ubique cum imperfecto vel plusquamperfecto coniunctivi ad actionem praeteritam exprimendam construit (cf. pag. 40). Atque si indicativum praetulisset, sine dubio aptius imperfectum, non praesens posuisset (cf. infra).

30. 5, 17 *cumque locus adgestis ruderibus neglectus purgatur, lapsam forem . . . multitudo removere non potuit.* In codice V est purgatus; Gelenius, cum in libro Hersfeldensi eandem verbi formam repperisset, emendavit locum purgaretur scribendo. Sed purgatus tenendum est ac contextui copula esset inserenda; quae nescio an neglegentia librarii codicis Hersfeldensis interciderit. Paulo probabilior emendatio illa esse videtur, quam C. W. F. Muellerus (in annal. philol. 1873 pag. 364) proposuit: vult enim *cum* in *dum* mutari; quod necesse est fiat, cum purgatus perperam pro purgatur exaratum esse censeat. Quidquid tamen emendaveris, sane cum . . . purgatur tollendum est, quandoquidem neque traditum est neque cum sententia reliquae orationis congruit.

Similem in modum hi duo loci, quibus cum construitur cum praesente historico indicativi, emendandi sunt: 25. 4, 23 *sciant . . . Constantinum ardores Parthicos succendisse, cum Metrodori mendaciis avidius adquiescit* (germanice: so lange er); 29. 1, 26 *eodem die . . . evenerat triste, quod Salia, . . . cum de vinculis educitur audiendus et calceo inserit pedem . . . animam . . . efflavit.* Quos locos si accuratius inspexeris, ita redintegrandos esse putabis, ut pro cum scribatur dum. Ac primum quidem sententiarum conexus dum efflagitat. Deinde Ammiani usus loquendi dissuadet, ut priore loco cum, quippe quod in oratione positum sit obliqua, coniungatur cum indicativo. Hunc enim usum apud Ammianum semel legimus (23. 6, 7, 8 cf. infra), contra dum in oratione obliqua modo cum indicativo, modo cum coniunctivo coniunctum est (cf. 31. 13, 14; 15. 5, 16). Itaque *dum . . . adquiescit* et *dum . . . educitur* scribemus, si syntaxi quandam constantiam perpoliendo vindicare volemus.

c) DE IMPERFECTI ET PERFECTI ET PLUSQUAMPERFECTI CONFUSIONE.

Etiamsi non negaveris scriptores illos antiquiores, quibus imitandis Ammianus operam navat, vim et usum temporum actionis praeteritae non semel neglexisse, tamen artissimis finibus haec licentia circumscripta est (cf. C. Fothium 'Die Verschiebung der lateinischen Tempora in den romanischen Sprachen' in Boehmeri 'Romanische Studien' VIII pag. 307). Ammianus autem quamvis dictioni politae atque eleganti in universum diligenter studeat, cum illis, quibus ipse vigebat, temporibus sermo latinus atrociter corruptus esset atque pristinae temporum et modorum usus normae confusae iacerent, hanc temporum et modorum confusionem non prorsus evitare poterat. Itaque imperfectum et perfectum et plusquamperfectum non raro promiscue neque ulla intercedente sententiae differentia ab eo ponuntur, sive indicativum modum sive coniunctivum requirat periodus.

α. DE PLUSQUAMPERFECTO PRO PERFECTO USURPATO.

De hoc usu iam Hassensteinus (pag. 51) pauca verba ita fecit, ut nonnullis exemplis additis contentus esset. Equidem paene omnes, qui mihi occurrerunt, locos congeram. Sed id prius monendum est, hanc plusquamperfecti commutationem nusquam in genere passivo fieri. Est enim omnino plusquamperfecti passivi et indicativi et coniunctivi perrarus usus.

14. 7, 11, 12 *subiratus abscessit nec in conspectum eius postea venit . . . hinc ille commotus . . . praefecti custodiam protectoribus mandaverat fidis;* 20. 4, 14 *nocte vero coeptante in apertum erupere discidium . . . ad tela convertuntur et manus fremituque ingenti omnes petiverant palatium;* 16. 8, 8; 19. 9, 5 *evasit exoptatum mulieri nuntium ferens, quae hoc cognito per Tamsaporem ducem supplicaverat regi . . .;* 19. 1, 6; 20. 11, 11, 12 *Decimo itaque postquam pugnari coeptum est die . . . transferri placuerat molem arietis magnam . . . quae subito visa . . . clausorum hebetaverat mentes . . . ni . . . opponenda . . . praeparassent. nec temeritas post haec cessaverat nec consilium;* 16. 5, 12; 22. 8 19 *Residuae* (Amazones) . . . *ad pacatiorem sedem transiere*

Thermodontis, quarum progenies longe deinde propagata per numerosam subolem manu firmissima ad loca reverterat genitalia; 27. 8, 10 *quo monitu ut rediere plerique, incentivo percitus . . . Civilem . . . ad se poposcerat mitti;* 19. 2, 1 *placuerat;* 29. 4, 7 *in Macriani locum . . . Fraomarium ordinavit, quem paulo postea . . . Alamannorum praefecerat numero;* 19. 6, 12 *iusserat;* 20. 2, 2 *dederat;* 22. 16, 11 *iusserat*; 14. 5. 6; 24. 1, 11; 24. 4, 17; 24. 4, 29; 24. 7, 4; 17. 1, 2; 19. 2, 14 *tandemque nox finem caedibus fecit et satias aerumnarum indutias partibus dederat longiores;* 20. 4, 4 *Conticuit hisque adquieverat Iulianus;* 21. 12, 16 *turbatis consuluit rebus, moxque Agilonem . . . miserat, ut . . . solveretur obsidium;* 27. 12, 5 *commisit Armeniam . . . isdemque mandarat;* 14. 11, 1 *Caesarem convellere . . . cogitabat, eique deliberanti . . . qua vi . . . id fieret . . . acciri . . . eundem placuerat Gallum* (Caesarem); 15. 5, 30 *occulta scrutabamur . . . sederatque . . . ut . . .*; 19. 1, 6 *eruendae urbis apparatu nisibus magnis instabat, et . . . leni summatum petitione placatus postridie quoque super deditione moneri decreverat defensores;* 23. 1, 2 *templum . . . instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi.*

Nonnunquam perfectum et plusquamperfectum ita sese excipiunt, ut sensu utriusque temporis mutato plusquamperfectum tempus pro perfecto, perfectum pro plusquamperfecto intellegendum sit. Itaque fit tamquam quoddam hysteron proteron temporum:

20. 9, 5 *in locum Florentii praefectum praetorio Nebridium tum quaestorem eiusdem Caesaris promoverat . . . Gumoarium enim successorem Lupicini, antequam sciretur huius modi quicquam, magistrum provexit armorum.* Pro *promoverat* Ammianus *promovit* et pro *provexit* scribere debebat *provexerat*; quod multo clarius apparebit, si totum Ammiani locum accurate perlegeris. 27. 7, 1 *vix dies intercessere pauci, cum Mamertinum . . . Avitianus . . . peculatus detulerat reum.* Inverso temporum ordine scribendum erat: *vix intercesserant, cum detulit.* 28. 6, 29 *Romanus ad comitatum profectus secum Caecilium duxit, cognitores accusa-*

turum ut inclinatos in provinciae partem: isque Merobaudis favore susceptus, necessarios sibi plures petierat exhiberi; 16. 5, 12 *aditus a parentibus virginis raptae, eum qui violarat convictum relegari decrevit. hisque indigna pati querentibus, quod non sit morte multatus, responderat hactenus . . .*

β. DE IMPERFECTO PRO PERFECTO USURPATO.

Permultis locis imperfectum legitur, ubi perfectum exspectes. Atque equidem, cum saepissime imperfectum passivi pro formis compositis perfecti positum sit, suspicor Ammianum consulto perfectum passivi evitasse, quod iam supra observavi, ubi de praesente historico verba feci. Quod qua de causa factum esse videatur, breviter exponam. In linguis Romanicis, quas dicimus, praesens et imperfectum passivi e temporum commutatione perfecti et plusquamperfecti orta esse constat:

amatus sum, je suis aimé, io sono amato;
amatus eram, j'étais aimé, io era amato;

quam temporum commutationem Ammiani aetate iam floruisse et litteris et monumentis probatum est. Formae igitur compositae perfecti et plusquamperfecti tamquam vulgares habebantur, imperfectum vero, cum tamquam forma docta et elegantior videretur, Ammianus ceteris temporibus ad praeteritum significandum idoneis, ni fallor, praetulit.

Altera huius singularis usus causa in ratione quadam rhetorica posita esse videtur. Quod neque incredibile est neque mirum, si reputamus Ammianum, ut ex epistulis Libanii amici apparet, historias suas vel totas vel partem coram auditorum corona recitasse. Persaepe in uno eodemque enuntiato perfectum ab imperfecto vel inverso ordine hoc ab illo mirum in modum excipitur ita, ut facile in opinionem adducamur Ammianum hanc variationem dedita opera appetivisse. Rerum gestarum narratio saepius interrumpitur atque ad descriptionem rerum transitur, cum rectius oratio perfectum historicum poscat. Nonnusquam, ubi perfectum exspectes, imperfecto actionem ita incohatam esse significatur, ut sententia quaedam conativa in imperfecto inesse videatur.

1. Atque passivi quidem imperfectum his locis legitur, ubi perfectum exspectes:

14. 2, 13, 14, 15 *circumstetere . . . hoc munimentum . . . et cum . . . nec procederet ullum obsidionale commentum, maesti excedunt . . . maiora viribus adgressuri.* (14) *Proinde concepta rabie saeviore . . . amplificatis viribus ardore incohibili in excidium urbium matris Seleuciae efferebantur . . .* (15) *horum adventum praedocti . . . rectores . . . armatos omnes . . . eduxere. Efferebantur in excidium* perverse de impetu semel facto dicitur. Verbi formas '*latus sum, elatus sum*' apud Ammianum mihi occurrisse non memini. 14. 5, 6 *infudit et ferebatur;* 14. 10, 4 *unde Rufinus ea tempestate praefectus praetorio ad discrimen trusus est ultimum. ire enim ipse compellebatur ad militem, quem exagitabat inopia.* Non saepe compellebatur Rufinus, sed semel iussus est ab imperatore ad exercitum ire. 16. 12, 36 *ad pugnandum utrimque magnis concursum est viribus; propilabantur missilia et . . . Germani . . . involavere;* 16. 12, 37 *erigebantur crassi pulveris nubes variique fuere discursus nunc resistentibus nunc cedentibus nostris;* 16. 12, 43 *Sed postquam comminus ventum est, pugnabatur paribus diu momentis. Cornuti enim . . . barritum ciere.* Dubitari non potest, quin Ammianus consulto evitaverit *ventum est, pugnatum est.* Similis est hic locus: 25. 8, 1 *caedebantur ut pecora vel longius amendati sunt venumdandi;* 16. 12, 45; 17. 10, 9 *ad colloquium tandem accitus a Caesare . . . condicione difficili premebatur;* 17. 1, 5 *quo ita disposito solis primo exortu visis per montium vertices barbaris ad celsiora ducebatur alacrior miles;* 17. 13, 12 *ducebantur, venere, cernebantur;* 17. 13, 8 *Iamque vergente in vesperum die cum moras rumpere lux moneret excedens, erectis vexillis in eos igneo miles impetu ferebatur;* 18. 6, 12 *sectabantur;* 18. 7, 11 *sequebantur;* 19. 8, 4 *oppletae sunt, pandebantur, truncabantur;* 19. 8, 9 *ferebamur;* 19. 9, 2 *ducebantur;* 19. 11, 10 *ferebatur;* 20. 7, 6 *pugnabatur . . . nec visae sunt;* 20. 9, 6 *exclamabatur;* 20. 11, 6 *docebatur;* 20. 11, 7 *parabantur;* 21. 7, 6 *docebatur*; 21. 9, 2 *ferebatur;* 21. 12, 5 *ferebantur;* 22. 2, 4 *effundebatur;* 23. 1, 5 *terrebatur;* 27. 2, 8 *sequebatur;* 24. 1, 10 *ducebatur;* 27. 3, 1 *audiebatur;* 31. 10, 13 *nitebantur;* 31. 15, 3 *certa-*

batur; 20. 7, 12 *vetabantur;* 31. 5. 8 *urebatur;* 19. 12, 13 *extinguebantur;* 24. 1, 6 *obsidebatur;* 24. 1, 8 *hortabatur.*

2. Multo autem rarius activi imperfectum vices agit perfecti:

23. 3, 5 *cuius atrocitate mali perculsus ilico . . . triginta milia lectorum militum eidem commisit Procopio iuncto . . . Sebastiano . . ., isdemque praecepit, ut intra Tigridem interim agerent vigilanter omnia servaturi . . . mandabatque eis ut . . . regi sociarentur Arsaci;* 17. 13, 13 *hos, cum ad loca venisset avidus barbarici sanguinis miles, disiectis culmis levibus obtruncabat nec quemquam casa vel trabibus compacta firmissimis periculo mortis extraxit;* 20. 7, 7 *cum magnus terror circumsisteret muros Persaeque paria formidarent, Christianae legis antistes exire se velle gestibus ostendebat et nutu . . . usque ad tentoria regis accessit;* 23. 2, 3.

§ 2. CONIUNCTIVUS.

PRAESENS CONIUNCTIVI ET PERFECTUM PER REPRAESENTATIONEM POSITA.

Ut repraesentationem perfecti indicativi per praesens historicum ab Ammiano coli vidimus, ita praeteritorum coniunctivi temporum repraesentatio quaedam eidem in deliciis est. Fit autem haec repraesentatio, si pro imperfecto vel plusquamperfecto coniunctivi praesens vel perfectum tum recipiuntur, cum proprie ac vere imperfectum vel plusquamperfectum coniunctivi significationem praesentis vel perfecti habent: id est temporum iusta consecutio neglegitur, quo alacrior atque vivacior fiat oratio. Quam repraesentationem a Caesare potissimum in litteras Romanas introductam esse constat. Livius et Tacitus Caesarem non modo magnopere imitati sunt sed etiam latius hunc usum patere voluerunt; poetae prisci comici et Cicero nunquam atque nusquam usurpaverunt, raro Sallustius.[1]

[1] De hoc usu imprimis disputaverunt: 1) Guil. Studemundus, praeceptor meus, in Analectis Livianis pag. 28, 29; 2) A. Draegerus in 'Untersuchungen über den Sprachgebrauch der römischen Historiker' I

Mirum sane est quam late hic usus apud Ammianum pateat. Sed iam rem ita exponamus, ut singula enuntiationum genera perlustremus.

I. Enuntiationes finales: *ut, ne.* 14. 11, 26 *pinnas autem ideo illi* (i. e. Nemesi) *fabulosa vetustas aptavit, ut adesse velocitate volucri cunctis existimetur;* 14. 6, 23 *excogitatum est adminiculum . . ., nequi . . . amicum . . . videat;* 20. 4, 15 *resistebat . . . obsecrans, ne . . . agatur . . . neve . . . excitaret;* (eandem coniunctivi temporum historicorum varietatem habes in 25. 1, 12; 22. 4, 2; 14. 6, 13; 28. 4. 13: ampliora leguntur pag. 40); 25. 3, 16 *munus autem id mihi delatum optime scio, ne difficultatibus subcumberem . . ., neve me proiciam . . . aut prosternam;* 21. 9, 8 *ut desinas pavere porrexi;* 25. 8, 12 *iussum est . . . remeare . . . ut . . . consilia quaerantur;* 27. 11, 5 *fuit . . . blandiens . . . ut noceat;* 27. 12, 7 *ordinarunt . . . vallumque . . . adgredi . . ., ut lateant id temptantes polliciti se provisuros;* 29. 5, 48 *visus est Firmus . . . hortari, ut dedant*; 29. 5, 1 *disseri placuit, ne . . . confundatur.*

II. Enuntiationes consecutivae: *ut, ut non.* 14. 6, 23 *additumque est . . . remedium aliud satis validum, ut famulos . . . non ante recipiant domum quam lavacro purgaverint corpus.* 22. 8, 15 *stetere . . . ut . . . credant;* 22. 16, 23 *et nulla tormentorum vis inveniri adhuc potuit, quae . . . latroni invito elicere potuit, ut nomen proprium dicat;* 23. 5, 5 *quoniam nulla vis humana vel virtus meruisse umquam potuit, ut quod praescripsit fatalis ordo non fiat;* 23. 5, 20 *ita oppressit . . ., ut suadere nobis laboret . . ., ut . . . credamus;* 22. 4, 2 *namque fatendum est, pleramque eorum* (palatinorum) *partem vitiorum omnium seminarium . . . aluisse ita, ut rem publicam infecerint cupiditatibus pravis, plusque exemplis quam peccandi licentia laederent multos.* In ultimo quod protuli exemplo perfectum coniunctivi ponitur. Falsus igitur est Draegerus (Syntax. I [1878] pag. 270), cum hunc

---

pag. 2—18, imprimis 11, 12; 3) **Prockschius** in programate gymnasii, Bautzen. 1870 pag. 31 sq.; 4) A. **Draegerus** in 'Hist. Syntax der lat. Spr.' § 133; 5) **Kuehnastus** in 'Die Hauptpunkte der Liv. Syntax' pag. 216 sqq. et adnot. 192.

usum ab Ammiano abiudicaret, neque probabiles causas afferre videtur, cur Ammianus Liviana repraesentatione vitata a perfecto coniunctivi in enuntiatis consecutivis abstinuerit.[1] De temporum varietate *infecerint*, *laederent* cf. pag. 16 sq., deinde pag. 40.

Accedit mirum quoddam apud Ammianum repraesentationis genus in enuntiationibus consecutivis et finalibus. In usurpando enim verbo *posse* certam et tamquam absurdam rationem sequitur:

1. In enuntiatis consecutivis affirmativis *possit* per repraesentationem pro *posset* legitur; in negativis autem sententiis recte imperfectum ponitur, uno excepto loco (cf. 17. 13, 23):

possit: 19. 2, 13 *exurgebant enim ruentium . . . clamores, ut . . . consistere . . . vix quisquam possit*; 21. 12, 8 *ut possint forari cuniculi inveniebatur . . . habilis locus;* 25. 1, 12 *erant . . . ita . . . tectae, ut . . . convenirent, humanorumque vultuum simulacra ita capitibus . . . apta, ut . . . corporibus . . . tela possint haerere;* 19. 1, 5 *portis obequitabat . . ., qui dum se prope confidentius inserit, ut etiam vultus eius possit . . . cognosci, . . . corruisset, ni . . . evasisset.*

posset: 19. 5, 4 *turris fuit . . ., sub qua hiabant rupes abscisae, ut despici . . . non posset;* 21. 15, 2 *urente calore . . . ut ne tangi quidem corpus eius posset, . . . deflebat exitium;* 21. 16, 6 *castus, ut nec amaro ministro saltem . . . posset redargui;* 27. 2, 6 *eo usque negotium venerat, ut nec acta nuntiaturus quisquam posset superesse nostrorum;* 18. 8, 12 *stetimus ita conferti, ut . . . cadavera . . . reperire ruendi spatium nusquam possent;* 17. 12, 7 *nostros adgredi cogitarunt, ut nec expedire tela nec . . . declinare, . . . nec . . . verti possent in fugam;* 27. 11, 6 *ita implacabilis . . . ut . . . nec exorari posset, nec ad ignoscendum . . . inclinari.*

Leni emendatione, ut aequabilitatem recuperemus, *possent* pro *possint* legendum esse 17. 13, 23 puto: *sedes alias*

[1] Cf. etiam Studemundum in 'Analectis Livianis' pag. 29.

suscipere sunt adsensi tranquillas . . ., ut nec bellis vexari nec mutari seditionibus possent.

2. Eandem fere rationem Ammianus in enuntiationibus finalibus observat, sed minus constanter. Enuntiationes positivae omnes (una excepta 28. 1, 50) *possint* pro *possent* praebent, contra enuntiationes negativae maiorem partem recte construuntur: quinquies enim *posset,* ter *possit* exstat.

a) *possit* in enuntiatis affirmativis: 16. 11, 13 *non levaturus . . . electus est, sed ut possit per bella deleri;* 18. 2, 2 *miserat . ., ut . . . scitari possit*; 18. 6, 3 *ireturque . . ., ut occupari possint provinciae*; 18. 9, 1 *Hanc civitatem . . . ut accolae suffugium possint habere . . . turribus circumdedit*; 19. 7, 5 *noctis spatium maius consumptum est, ut excogitari possit*; 20. 4, 2 *misit . . . hac specie iussos adcelerare, ut adesse possint*; 20. 5, 2 *quasi lituis, verbis, ut intellegi possit, simplicibus incendebat*; 20. 11, 12 *ut possint facile qui essent agnosci . . . fundebantur*; 21. 7, 7 *ut . . . possit antevenire . . . egressus, petit;* 21. 16, 16 *addictus* (erat) . . . *quid ille aiat aut neget, ut adsentiri possint, observantibus*; 22. 6, 1 *Aegyptii venere . . ., genus hominum controversum . . . ut levari debito possit*; 24. 7, 5 *ut possint custodiri discretae sunt*; 29. 2, 8 *quid . . . conlocaret, ut proficere possit facilius . . . praemonebat*; 30. 6, 1 *pacem . . . obsecrantes, quam ut adipisci sine obstaculo possint, et tirocinium . . . pollicebantur.* Codex V *possit* praebet. Gardthausenus falso *possent* scribit; ex iis, quae supra exposui, apparet *possint* legendum esse.

Ut in sententiis consecutivis unicum illud '*ut non — possit*' (17. 13, 23) mutavimus ac *posset* scripsimus, ita aequum est ad constantiam servandam pro unico '*ut — posset*' (28. 1, 50) in enuntiato finali corrigi *possit.* Itaque hoc modo oratio redintegranda est: 28. 1, 50 *mulier vero ut continendae vitae spem firmam . . . possit habere . . ., vim in domo Aginati perpessam adseveravit.*

b) *possit* in propositionibus negativis: 19. 8, 7 *ne labi possit . . . habenam . . . sinistra manu . . . inligavit*; 24. 2, 5 *ne possint emittere coegerunt*; 30. 7, 6 *Rhenum . . . castris munivit, . . . ne latere . . . hostis . . . possit.* Contra *posset*:

14. 11, 14 *venere tamen aliqui . . . eundem ne commovere se posset . . . custodituri*; 17. 13, 30 *Limigantes . . . migrare conpulimus . . ., ne in perniciem nostrorum se commovere possent*; 20. 11, 15 *retinuere* (arietem) . . . *ne . . . ferire muros . . . posset*; 30. 1, 20 *inmittitur barbarus . . . confossurus iuvenem, ⟨ne⟩ exilire posset etiam tum praepeditum.*

Cum *possit* mira quadam constantia usurpari videatur, manifestum est Ammianum huic peculiari usui operam dedisse neque neglegentia licentiave librariorum has formas in contextum irrepsisse. Cetera, quae huc pertinent, vide pag. 40.

3. In reliquis sententiis ubique recte *posset* invenitur.[1]

III. Repraesentatio in enuntiatis e verbis timendi pendentibus nonnusquam occurrit: 19. 6, 4 *gladiis portas caedebant, . . . admodum anxii, ne . . . sine ullo specioso facinore deleantur, aut . . . nihil egisse . . . memorentur*; 31. 3, 6 *veriti ne . . . index procul agentes absterreat, Athanaricum . . . petivere*; 25. 2, 4 *horroreque perfusus est, ne ita aperte minax Martis apparuerit sidus.*

IV. Enuntiationes temporales. In his raro exstat repraesentatio: 30. 7, 10 *Efficacia pari Valentinum . . . antequam negotium effervescat, oppressit*; 14. 6, 23.

V. Enuntiationes interrogativae obliquae. In his sententiis repraesentatio et per praesens et per perfectum effecta saepissime in usu erat.

Praesens: 14. 7, 18 *qui sint hi magna quaerebatur industria*; 15. 8, 16 *qui futurus sit colligebant*; 18. 5, 1

---

[1] 14. 2, 13 codices possit praebent: *cum . . . nec cuniculis quicquam geri possit, nec procedebat* (Gardthausenus *procederet*) *ullum obsidionale commentum, . . . excedunt.* Gardthausenus contra codices *posset nec procederet* scripsit, ut orationis aequabilitatem restitueret. Sed iniuria locum correxit vir doctus. Nam ut omittam possit, quippe quod ex historico praesente pendens recte scriptum sit, Ammianus — si *procederet* teneremus — variationem temporum e praesente historico pendentium non fugit, id quod multa probant exempla: 18 7, 10; 24. 4, 22; 28. 1, 24; 31. 10, 3. Sed Ammianus *procedebat* habet, quod omnino servandum est. *Cum* causale et cum indicativo et cum coniunctivo construitur. Ammianum autem audacter saepe modos verbi variasse iam Hauptius (op. II pag. 496) breviter monuit. Ceterum hac de re infra pluribus disseram.

circa ratiocinia versabatur, qui vel quarum virium milites ubi agant vel procinctus tempore quo sint venturi describens, itidem . . . copiae ... an abunde suppetant ... percontans; 18. 7, 10 *dicere quid sentiat iussus orditur*; 18. 8, 5 *cum quid agi oporteat cunctaremur, occiduntur quidam*; 20. 8, 3 *litteras dedit, quid actum sit quidve fieri oporteat deinceps monens*; 21. 16, 16 *addictus . . . plaudentibus et quid ille aiat aut neget... observantibus*; 22. 4, 10 *omnes . . ., data quo velint eundi potestate, proiecit*; 27. 12, 8 *biduumque ad deliberandum, quid capessere debeant, sibi concedi clausos petisse adseverantes, in desidiam obsessores traduxerunt*; 29. 1, 25 *inter ambigentes iudices, quid prius quaeri debeat quidve posterius, dicere audacter exorsus, multa hominum milia . . . fundebat*; 29. 2, 19 *cum consilium . . . anceps, quid inter ultionem et scelus statui debeat, haesitaret, . . . missa est.*

Perfectum: 14. 7, 19 *scrutabatur, an quaedam altiora meditantis iam Galli secreta susceperint scripta*; 14. 10, 4 *ire ... compellebatur ad militem ... ut ... monstraret, quam ob causam annonae convectio sit impedita*; 15. 5, 14 *scisse quid actum sit . . . contendens abiit*; 16. 5, 13 *quid egerint ... quaerens, ... mitigabat*; 16. 10, 6 *stupebat, qua celeritate omne hominum genus confluxerit Romam*; 16. 12, 59 *nec enim potuit celare qui fuerit*; 18. 6, 12 *cum . . . interrogassent, quisnam provectus sit index, ... sectabantur*; 20. 8, 3 *litteras dedit, quid actum sit, quidve fieri oporteat ... monens*; 25. 8, 13 *cuius iram metuebant ..., recolentes quae adsidue pertulerit funera*; 29. 1, 33 *interrogati an ... ea praescierint, quae sustinerent: versus illos notissimos ediderunt.*

VI. Enuntiationes secundariae orationis obliquae.

1) Accusativus cum infinitivo. In his enuntiatis rarus praesentis usus est: 17. 3, 5 *rescripsit gratandum esse si provincialis ... saltem sollemnia praebeat*; 17. 10, 4 *et eam* (sc. pacem) . . . *sub hac meruit lege, ut ... quotiens sit* (= futurum esset) *necesse, militibus alimenta praeberet.* Contra perfectum saepe pro plusquamperfecto usurpatur, praesertim cum futurum II tamquam coniunctivus intellegendum sit. Quod cum paene nusquam fiat nisi in condicionalibus senten-

tiis, suspicio nascitur Ammianum consulto perfecti coniunctivum posuisse. Qui si plusquamperfecto usus esset, haud multum aberat, quin sententia irrealem indueret sensum: quod ut evitaret, inepte perfecti coniunctivum omni temporum consecutione neglecta praetulit: 17. 3, 4 *ob quae praefecto praetorio ferri non posse clamante se repente factum infidum, cui Augustus summam commiserit rerum, Iulianus eum . . . docuit*; 28. 2, 9 *id conmeruisse saevo iudicatus arbitrio, quod evaserit solus*; 16. 12, 60 *flagitium arbitrati . . . pro rege non mori, si ita tulerit casus, tradidere se vinciendos*; 17. 1, 8 *stetit . . . doctus . . . plurimos, ubi habile visum fuerit, erupturos*; 17. 1, 13 *reges venerunt . . . iurantes . . . fruges portaturos umeris, si defuisse sibi docuerint defensores*; 21. 5, 10 *iuravere . . . omnes pro eo casus, quoad vitam profuderint, si id necessitas exegerit, perlaturos*; 23. 3, 2 *dicitur . . . Procopio mandasse arripere . . . principatum, si se interisse didicerit*; 24. 4, 21 *nuntiatur imperatori . . . milites . . . ima penetrasse fundamentorum, iam, si ipse disposuerit, evasuros*; 17. 1, 4 *inposuit milites ea re, ut . . . quicquid invenire potuerint ferro violarent*; 19. 9, 4 *exorans, ut auditis quae contigerint, veniret secum beate victurus*; 19. 9, 5; 14. 3, 1 *quotiens copia dederit*; 23. 2, 1 *si . . . adegerit necessitas*; 19. 11, 6; 25. 9. 5; 29. 1, 6; 14. 7, 9 *cum venerit*; 24. 2, 1 *cum occupaverint*.

2) In enuntiationibus, quae a coniunctione *quod* locum accusativi cum infinitivo q. d. tenente incipiunt, coniunctivus perfecti ubique pro plusquamperfecto in usu est. Locos congessi infra, ubi de usu particulae *quod* copiosius egi.

CAPUT II.

DE RELIQUORUM TEMPORUM USU.

§ 1. PRAESENS.

DE PRAESENTIS INDICATIVO.

Praesentis temporis usus apud Ammianum in universum non differt ab illo, quem antiquiores scriptores observabant. Consentaneum igitur est nusquam plura praesentia occurrere quam in orationibus, quas multas contextui historiarum suarum Ammianus inseruit rerum scriptores qui ante eum fuerunt imitatus. Per praesentis autem formas — ut res notas breviter tangam — pronuntiantur actiones, quae tum fiunt aguntur ve, cum orator loquitur, id est res eo quo oratio habita est tempore nondum perfectae. Itaque non solum de uno temporis puncto dicitur praesens, sed etiam, ut Ciceronis verbis utar: 'in tempore et quae praeterierunt considerantur et item quae instent in praesentia et cum maxime fiant, quae consequantur'. Loci igitur communes, quorum Ammianus non parcus est, cum quovis tempore valeant, per praesens tempus exprimuntur. Ex sescentis unum proferam exemplum, quod oratione ab imperatore Constantio in contione apud milites habita continetur: 14. 10, 14 *postremo id reputantes quod non ille hostis vincitur solus, qui cadit in acie..., sed multo tutius etiam tuba tacente sub iugum mittitur voluntarius qui sentit expertus nec fortitudinem in rebellis nec lenitatem in supplices animos abesse.*

Porro in describendis locis ac populorum moribus saepe praesenti tempore utitur Ammianus, ubi rerum gestarum ordinem narrationisque progressus spectantibus imperfectum aptius poni videatur (Praesens consuetudinis). Quod ubi facit Ammianus, morum et locorum descriptionem ad illa, quibus res gestae sunt, tempora accommodare neglexisse videtur atque illud significare voluisse, suis quoque temporibus et mores et locos, quos describit, non mutatos neque diversos esse ab iis temporibus, quibus res, quas narrat, gererentur. Cuius rei

nonnulla exempla afferam: 19. 11, 4 *Imperator . . . margines barbaros observabat... Pannonias furtim vastandas invadere hiemis durissimo cogitantes, cum nec dum solutae vernis caloribus nives amnem undique pervium faciunt nostrique pruinis subdivales moras difficile tolerabant.* Apparet scriptorem, cum diceret *faciunt*, significare voluisse et tum cum res narratae fierent, et tum cum eos describeret, Rhenum hiemis tempore glacie densa obtectum undique transiri potuisse. In altera autem enuntiatione imperfectum recte positum est, cum non de actione in praesenti repetita agatur, sed res praeterito tempore acta exponatur. Similia sunt exempla haec: 18. 8, 5 *humum vultu paene contingens salutavit patronum appellans et dominum, manus post terga conectens, quod apud Assyrios supplicis indicat formam*; 18. 8, 9 *unde quidam praecipites pulsi... haeserunt, ubi vadosus est amnis*; 19. 7, 8 *Rex enim Persarum, qui nunquam adesse certaminibus cogitur, . . . proeliatoris militis ritu prosiluit*; 20. 4, 20; 20. 11, 15; 21. 13, 4; 22. 2, 3; 31. 10, 4; 14. 2, 5; 18. 5, 4; 14. 2, 7; 14. 3, 1; 16. 10, 5; 16. 12, 48; 18. 5, 3; 22. 6, 5; alia.

Denique nonnunquam fit, ut tempus praesens occurrat, cum futurum exspectaveris; quo artificio rhetorico non secus atque apud scriptores aureae aetatis augetur quodammodo orationis vigor. Vix enim assentior Hassensteino (pag. 49) opinanti Ammianum plebeium sermonem in hac re secutum esse; quamquam iam apud priscos poetas latinos eandem neglegentiam deprehendimus. Immo locis, quos statim proferam, demonstrari videtur temporis commutatione sermonem a scriptore concitatiorem consulto factum esse. 16. 12, 11 *quae si dederit quisquam commode transiri posse . . . quid nos agimus?* (= agemus); 19. 12, 17 *Et inquisitum in haec negotia fortius nemo, qui quidem recte sapiat, reprehendit* (certe reprehendet); 21. 5, 5 *si fortuna coeptis adfuerit, altius adfecto maiora* (= statim adfectabo). — De infinitivo praesentis loco futurius urpato cf. huius commentationis finem.

§ 2. IMPERFECTUM.

DE IMPERFECTI INDICATIVO.

In imperfecto usurpando Ammianus saepissime cum optimae latinitatis scriptoribus consentit. Constat in imperfecto inesse notionem diuturnitatis et perpetuitatis; qua de causa ad illas res enarrandas atque describendas hoc tempore utimur, quas durasse aut saepe repetitas esse dicimus. Ex hac diuturnitatis notione sequitur, ut imperfectum imprimis accommodatum sit ad mores, instituta, loca describenda, quippe quorum status et condicio durare soleant. 17. 4, 10 *singulae litterae singulis nominibus serviebant et verbis; non numquam significabant integros sensus.*

Deinde imperfectum relativam significationem ita habet, ut potissimum causas rerum gestarum et temporum condiciones exprimat, quippe quae iam tum valuerint et duraverint, cum illae res geri coeptae sunt. 21. 1, 1—4 *Intercluso hac bellorum difficili sorte Constantio, . . . Iulianus . . . formidandis in futura consiliis dies inpendebat et noctes.* Narrat deinde Ammianus Iulianum diu ambigentem fuisse, utrum cum Constantio pacem faceret, an eum copiis aggrederetur, tum causas enumerat, cur tam diu dubitaverit: '*quae sollicite reputans utrumque formidabat, et amicum cruentum et in aerumnis civilibus saepe victorem.*'

Saepe imperfectum collocatum videmus, ubi scriptor et ipse in rebus narrandis quasi moratur et lectoris animum in iis ita versari et subsistere vult, ut eas illi quasi picturam ante oculos ponat. Quo fit, ut Ammianus eas actiones, quarum imaginem sibi ipse effingit, in quibus ipse mente et cogitatione versatur, per imperfectum enuntiet. 17. 10, 6 *et ira quisque percitus armatorum urebat agros, pecora diripiebat et homines, resistentesque sine ulla parsimonia contruncabat*; 21. 12, 13 *Et quidam elatis super capita scutis ut pugnaturi levius, alii vehentes umeris ut antea scalas ferventique impetu procurrentes, pectora multiformium telorum ictibus exponebant. alii ferratas portarum obices effringendas adorti, ultro ignibus petebantur, vel saxis muralibus oppetebant. quidam*

fossam fidentius transire conati, repentinis eorum adsultibus, qui erumpebant clanculo per posticas, ruebant incaute ⟨vel⟩ saucii discedebant; 31. 10, 14; 20. 11, 21; 18. 8, 9. Constat alios scriptores permultos pro hoc imperfecto Ammianeo infinitivo q. d. historico uti non inepte ad describenda facta et res, quae quasi in pictura eodem temporis momento agi et fieri videntur vel quae celeriter alia aliam excipiunt, maxime idoneo. Qui usus cum apud Sallustium latissime pateat, mirum est quod Ammianus, quem quidem Sallustii vestigia maximopere secutum esse Hertzius, Wirzius (in Philol. vol. 36), alii docuerunt, non plus quam semel ac fortasse ne semel quidem infinitivo historico uti videtur. Locus enim ille unicus, quo infinitivus historicus traditus est, non integer esse mihi videtur: 29. 3, 7 *Claudium et Sallustium ... accusabat quidam . . . cumque nihil quaestiones reperirent adsiduae, mandare magistris equitum auditoribus princeps, ut agerent ⟨Claudium⟩ in exilium et Sallustium pronuntiarent capitis reum.* Sane mirum sit, si Ammianus hoc ipso loco orationem nova inducta atque inusitata repraesentationis forma concitatiorem reddere voluerit, cum res, quae narratur, hoc artificium certe non posceret. Accedit quod sententiarum conexus ususque temporum non infinitivum historicum sed perfectum hist. commendare videtur similiter ac proxima paragrapho *respondit* scriptum est. Cum autem *mandare* et codice V et Gelenii auctoritate nitatur, infinitivum quidem servandum esse censeo, sed perfectum verbi cuiusdam, ex quo *mandare* pendeat, ut *constituit* vel *decrevit* vel *animum induxit*, in textum inserendum.

Imprimis autem imperfectum suum habet locum in enuntiatis secundariis, ubi imperfectum aliquam rem exprimit, quae ad illam alteram primaria sententia enuntiatam ita refertur, ut eam aut fuisse aut durasse indicetur, cum illa altera incideret. Huc pertinent primum sententiae relativae, veluti: 17. 12, 10 *eoque ad precandum admissa multitudo, cuius ora formido muta claudebat, . . . omnes manus . . . precibus dederunt*; 18. 8, 5 *sublata tiara, quam capiti summo ferebat.*

Deinde eae enuntiationes secundariae, quae quasi ad-

verbiorum vi et significatione praeditae rerum gestarum tempora, causas, condiciones, concessiones etc. indicant, imperfectum recipiunt: 17. 10, 3 *et quia vultus incessusque supplicem indicabat, susceptus . . . pacem . . . oravit*; 17. 13, 18 *ibi victoriam repperit, ubi nec caute posse consistere nec audere aliquid credebatur*; 21. 5, 13 *Iulianus, ut poscebat negotii magnitudo, . . . se fortunae conmisit ambiguae.*

Porro imperfectum quod dicitur de conatu, cuius significationem incohativam e notione actionis praeterito tempore nondum perfectae ortam esse constat, ab Ammiano singulari studio colitur atque adamatur. Qui cum alibi tum priusquam orationes ab imperatoribus habitas reddat, imperfecto uti solet, quo indicetur imperatorem animos militum ad rem gloriose gerendam incendere vel illis aliquid commendare voluisse. 16. 12, 29 *his et similibus notos pariter et ignotos ad faciendum fortiter accendebat*; 20. 5, 2 *verbis, ut intellegi possit, simplicibus incendebat*; 26. 2, 5 *cogitata nullis interpellantibus absolvebat*; 27. 6, 5 *oratione contionaria destinatum imperatorem exercitui commendabat.* Praeterea haec in promptu habeo exempla: 14. 10, 2 *emendabat*; 14. 10, 6 *vetabantur*; 15. 2, 1 *arcessebatur*; 15. 5, 8 *vexabat*; 15. 7, 2 *incessebat*; 15. 8, 2 *infatuabant*; 16. 2, 2 *flectebant*; 17. 11, 1 *vertebant*; 18. 6, 11 *repetebam*; 19. 11, 5 *explorabat*; 20. 7, 8 *suadebant*; 22. 3, 5 *trahebantur*; 23. 1, 7 *suadebant*; 27. 1, 1 *persultabant.* Ceterum imperfectum de conatu saepius pro perfecto historico usurpari videtur: de quo usu pag. 14 sqq. disputavi.

Denique ut praesens historicum passivi locum perfecti passivi saepissime tenet, ita imperfectum passivi in usu est pro plusquamperfecto passivi, quod omnino ab Ammiano vitatur. 19. 12, 12 *Alexandriam unde oriebatur, innoxius abire permissus est*; 31. 15, 11 *animadversum est a nostris isdem telis barbaros uti, quibus petebantur*; 15. 5, 16 *sed Laniogaiso vetante . . . docenteque Francos, unde oriebatur, interfecturos eum.* Uno loco imperfectum activum pro plusquamperfecto legitur (cf. Hassensteinum pag. 50): 18. 10, 4 *lenitudinem profecto in tempore simulans, ut omnes, quos antehac diritate crudelitateque terrebat, sponte sua . . . venirent.*

DE IMPERFECTI CONIUNCTIVO.

A. Imperfectum coniunctivi pro plusquamperfecto, praecipue in condicionalibus enuntiatis irrealibus, nonnunquam quasi per repraesentationem usurpatur ita, ut vel in primaria vel in condicionali vel in utraque sententia temporis commutatio fiat. Quam commutationem iam inde a Plauti aetate optimi scriptores non raro admiserunt vulgarem secuti sermonem. Vulgus enim, cum inde a remotissimis temporibus differentiam, quae inter imperfectum et plusquamperfectum intercedit, non penitus intellexisset, modo imperfectum pro plusquamperfecto collocari, modo hoc pro illo passum est, atque ita quidem, ut prioribus temporibus illud, postea hoc commutationis genus praevaluerit idemque in Romanicas quas dicimus linguas transierit. Ammianus exempla utriusque usus praebet (cf. pag. 14 sq.): saepe illo, haud raro hoc utitur.

a. In primaria sententia: 29. 1, 17 *alter . . . in cubiculo iacens confoderetur, ni tulisset suppetias filius adulescens*; 24. 4, 24 *cum se ultro offerret, si miles fuisset memorabilis conscius facti.*

b. In secundaria sententia: 22. 10, 6 *Et aestimabatur . . . vetus illa Iustitia . . . imperante eo* (Iuliano) *reversa ad terras, ni quaedam suo ageret, non legum arbitrio erransque aliquotiens obnubilaret gloriarum multiplices cursus*; 15. 1, 4 *namque etiamsi mundorum infinitates Democriti* (Constantius) *regeret, . . . id reputasset*; 16. 7, 5 *quem si Constans imperator . . . audiret honesta suadentem et recta, nulla . . . peccasset*; 25. 4, 19 *ni ostenderet*; 31. 10, 19 *si regeret*; 17. 13, 3.

c. In utraque sententia: 15. 6, 3 *Unde apparebat quod, si praesumere fortunae superioris insignia conaretur, auri tam grave pondus largiretur ut suum.* Pro imperfectis plusquamperfecta Ammiano erant scribenda, cum Silvanus non largiturus pecuniam esset sed iam dudum largitus. 25. 10, 5 *cuius* (Iuliani) *. . . cineres siqui tunc iuste consuleret, non Cydnus videre deberet . . . sed . . . praeterlambere liberis.*

Commutatio imperfecti et plusquamperfecti rarius in ceteris praeter condicionalia enuntiatorum generibus occurrit: 14. 1, 6 *relaturi quae audirent*; 29. 3, 7 *cumque nihil*

quaestiones reperirent adsiduae, mandare ⟨constituit⟩ magistris . . . ut agerent.

B. Imperfectum coniunctivi saepe futuri coniunctivi locum obtinet, cum Ammianus coniugationem periphrasticam q. d. et activam et passivam coniunctivi futuri evitet. In oratione obliqua saepe *si* nec raro *quod* (tam causalis quam altera illa, quae accusativi cum infinitivo munere fungitur) coniunctiones cum imperfecto coniunctivi coniunguntur, ubi futuro I vel II suus esset locus, si oratio recta esset.

Praeterea accidit, ut, ubi duae enuntiationes rei futurae sensum exprimentes inter se coordinatae sunt. altera futuro indicativi altera imperfecto coniunctivi insignis sit, quam modorum varietatem non tantum non evitari ab Ammiano sed vehementer appeti infra demonstrabo (cf. p. 43 sq.).

1) *si*: 24. 4, 6 *periculosum fore existimans, si gradiens prorsus a tergo relinqueret quos timeret*; 17. 13, 3 *abnuere parati, si iuberentur*; 15. 5, 7 *se . . . scire quod, si mitteretur, . . . turbabit*; 25. 4, 12; 27. 7, 10 *eumque adfirmans, nisi rediret, . . . novas res . . . moliturum.*

2) *quod*: 21. 10, 2 *firmata spe venturorum, quod . . . ut sidus salutare susciperetur*; 22. 6, 3 *pollicitus quod ipse quoque protinus veniret cuncta eorum negotia finiturus*; 19. 1, 4; 23. 1, 7; 14. 11, 7 *ad hoc unum mentem sollicitam dirigebat, quod Constantius . . . nec satisfactionem suscipiet aliquam nec erratis ignoscet, sed . . ., si cepisset incautum, morte multaret.*[1]

[1] Si in enuntiatis a coniunctione *quod* pendentibus nonnulla verba coordinata exstant, quorum altero praesentis, altero futuri notio exprimenda sit, Ammianus non semper utrobique coniunctivi imperfectum ponit, sed ad praesens tempus indicandum imperfecto coniunctivi, ad futurum indicativi futuro utitur: 21. 7, 3 *cuncta consideratione gemina efficere posse sperabat, quod adversam partem metueret offensam et properabit . . . commendari Constantio*; 14. 11, 11 *qui eum . . . pellexit . . . replicando quod . . . eum videre frater cuperet, . . . participemque eum suae maiestatis adsciscet* (cf. pag. 45). Tamen coniunctivi imperfectum usurpatur in locis similibus ei, quem supra (14. 11, 7) protuli: *sed . . ., si cepisset incautum, morte multaret*, ubi propter *si cepisset* dubitare non licet, quin in verbo *multaret* futuri notio insit.

Hassensteinus, qui eandem rem breviter tetigit duobusque exemplis illustravit (19. 1, 4; 23. 1, 7), de illo usu haec scribit: '*Coniunctivus imperfecti pro participio futuri cum* essem *iuncto sequitur ex praesentis usu pro tempore futuro adhibiti.* At perraro praesens pro futuro usurpatur. Hassensteinus ipse unum profert exemplum (16. 12, 11) verbi finiti ex tribus, quae ex Ammiano colligi possunt. Itaque usus quidam Ammiani proprius ex hac re agnosci non potest. Immo causa in eo sita est, quod, ut supra dixi, Ammianus omnino a constructione periphrastica valde abhorret (cf. pag. 37 sq.).

§ 3. PERFECTUM.

Perfecti notio, si grammaticos sequimur, duplex est, quippe qui perfectum logicum vel praesens atque perfectum historicum discernant. De hoc paginis 7 sqq. quae mihi necessaria visa sunt exposui. Iam de illo, cum ab Ammiano plerumque recte usurpetur, pauca dicam:

I. Perfecto logico actio indicatur, quae eo quo loquimur tempore perfecta est et transacta, neque interest utrum res, de qua est sermo, in praesenti tempore duret necne. 21. 16, 5 *In vita parca et sobria edendi potandique moderatione valetudinem ita retinuit firmam, ut raros colligeret morbos, sed eos non procul a vitae periculis: id enim evenire corporibus a lascivia dimotis et luxu, diuturna experimenta et probationes medendi monstrarunt*; 21. 8, 3 *Id enim et Alexander Magnus et deinde alii plures negotio ita poscente periti fecere ductores*; 21. 1, 13 *sufficiet dici, quod et grammaticus locutus interdum est barbare, et absurde cecinit musicus et ignoravit remedium medicus.*

II. Nonnunquam perfectum liberiore quodam modo pro imperfecto Ammianus ponit, ac maxime ita, ut ubi multa verba, quae per tempus imperfectum exprimenda erant, cumulantur, aut variandi causa aut neglegentia quadam in uno alterove verbo perfectum interposuisse videatur. 19. 5, 4 *In summoto loco partis meridianae murorum . . . turris fuit in sublimitatem exurgens, sub qua hiabant rupes abscisae.* Muro-

rum conformatio urbis Amidae describitur; itaque cum turris nondum deleta esset, perperam *fuit* Ammiani calamo excidit pro *erat*. Similis locus est 27. 6, 3 *qui licet asper esset et formidatus, tolerabilior tamen fuit et praeferendus . . . ante dicto* (Rustio Iuliano); 14. 5, 2 *fecit*; 16. 5, 5 *Iulianus vero . . ., quotiens voluit, evigilavit et . . . exsurgens . . . occulte Mercurio supplicabat*; 15. 9, 8 *et bardi quidem fortia virorum . . . facta . . . cantitarunt, euhages . . . sublimia naturae pandere conabantur*; 15. 11, 6 *regebantur . . . Galliae . . . potestate in partes divisa quattuor, quarum Narbonensis una Viennensem intra se continebat . . .: altera Aquitanis praeerat . . .: superiorem . . . Germaniam Belgasque duae iurisdictiones . . . rexere*; 21. 6, 6 *parabantur nihilo minus externorum atque civilium instrumenta bellorum et augebatur turmarum equestrium numerus parique studio supplementa legionibus scripta sunt . . . omnisque ordo . . . vexabatur*; 31. 6, 7 *Incendiorum magnitudine cuncta flagrabant, . . . raptae sunt matres . . . et puberes . . . tracti sunt.*

III. Quod autem sescenties perfectum pro plusquamperfecto positum est, id vitio vix aliter vertas, nisi ita, ut Ammianum vel vulgarem vel potius Graecum quendam patrii sermonis usum in latinam linguam transtulisse putes. Constat enim Graecos in rerum gestarum narratione aoristo uti solere, ubi Romani scriptores plusquamperfecto utantur. Imprimis in sententiis secundariis ac potissimum in enuntiatis relativis et causalibus, quae a coniunctionibus *quod, quia* incipiunt, haec temporum commutatio suum habet locum. Primum ea exempla proferam, ex quibus perfectum in enuntiationibus primariis non recte pro plusquamperfecto poni elucet: 20. 9, 8 *magistrum enim officiorum iam pridem ipse Anatolium ordinavit*; 14. 2, 9; 21. 11, 2; 27. 3, 3; 27. 5, 3. Iam ex sescentis, quae in schedis collecta habeo, exemplis pauca perscribam, ubi perfectum perverse pro plusquamperfecto in enuntiatis secundariis legitur:

A. Sententiae relativae. 14. 3, 4 *suorum indicio proditus, qui . . . ad praesidia descivere Romana, . . . tabescebat*; 14. 11, 19 *qui praefuit*; 14. 11, 24 *et non diu postea ambo cruciabili morte absumpti sunt, qui eum . . . ad usque plagas*

perduxere letales; 15. 1, 2 *felicitatemque imperatoris extollebant in caelum, cuius nutu . . . licet diversis temporibus duo exauctorati sunt principes*; 15. 5, 6 *se . . . haec, quae ipse pollicitus est, impleturum*; 15. 5, 8 *dissidens a mandatis, quae proficiscenti sunt data, . . . remansit*; 15. 5, 32 *quibus inretitus est*; 15. 6, 4 *qui electus est*; 16. 2, 3 *scindebatur in multiplices curas, ut milites, qui a solitis descivere praesidiis, reducerentur*; 16. 11, 8 *Isdem diebus exercituum adventu perterriti barbari, qui domicilia fixere cis Rhenum, partim difficiles vias . . . clausere*; 16. 12, 58 *Rex Chonodomarius . . . properabat ad castra, quae prope Tribuncos . . . fixit intrepidus*; 17. 2, 1 *munimentis duobus, quae olim exinanita sunt, occupatis*; 17. 12, 5; 17. 13, 13 *consurrectum est in perniciem eorum, qui deseruere proelia*; 18. 10, 2 *se cunctosque prodidere, qui ad praesidia confugerunt*; 19. 11, 1 *posthabitis locis quae eis anno praeterito utiliter sunt destinata*; 19. 11, 16 *mors tamen eminuit inter alios Cellae . . ., qui . . . primus omnium in medios Sarmatarum globos se iniecit*; 19. 11, 15 *nostri quoque licet rari videbantur exanimes, quos impetus conculcaverat vehemens aut . . . lateraque nudantes intecta ordo fatalis absumpsit*; 20. 9, 6 *replicatoque volumine edicti, quod missum est*; 21. 1, 2 *quem prodidere*; 22. 1, 2; 23. 5, 16 *qui conspiravere*; 27. 1, 1; 24. 6, 2; 24. 6, 16; 24. 7, 2; 24. 7, 5; 25. 8, 1; 28. 1, 9 *qui rem detulerunt*; 28. 1, 10 *quae perpetravere*; 28. 2, 10 *quos sumpserunt*; 31. 1, 2 *post multa enim, quae vates auguresque praedixere veridice, resultabant canes.* Item ubi '*ut mandatum* (vel *praeceptum*) *est*' legitur, saepissime plusquamperfectum est intellegendum: 14. 11, 16; 19. 12, 7; 24. 1, 6; 24. 5, 5.

B. Sententiae causales. 27. 4, 1 *arma concussit in Gothos ratione iusta permotus, quod auxilia misere Procopio*; 27. 7, 5 *et Diodori* (eminuit mors) . . . *ob id necati, quod questus est comes*; 29. 3, 7 *accusabat, quod locuti sunt*; 31. 13, 16 *eos maerore adflixit, . . . quod Romanae rei rectorem non cepere superstitem*; 17. 2, 1 *quod . . . sunt arbitrati*; 17. 9, 7 *quod adpetitus est*; 22. 3, 5 *quod excepit*; 22. 11, 9 *quod evertit*; 23. 5, 6 *ea re supplicio capitali damnarat, quod . . . alimentorum augmentum exhibere pollicitus casu impediente*

frustratus est; 24. 5, 4 *exustus est* . . . *eo quod* . . . *dimicavit* . . . *et* . . . *proruperat*; 24. 7, 5.

IV. Perfectum cum futuro II paucis locis ab Ammiano commutatur; quod ita fit, ut nullum artificium rhetoricum agnoscendum sit: 21. 6, 2 *si quid admisit huius modi,* . . . *punietur.*

V. De coniunctionibus temporalibus *postquam, ubi, cum primum,* quae cum perfecto coniungi solent, cf. infra.

§ 4. PLUSQUAMPERFECTUM.

DE PLUSQUAMPERFECTI INDICATIVO.

Plusquamperfecti indicativi, quo Ammianus in universum recte utitur, exempla afferre supersedeo. Nec tamen desunt vestigia atque indicia eius quo Ammianus viguerit temporis. Nonnunquam enim ille plusquamperfectum ibi ponit, ubi perfecto suus erat locus: cf. pag. 12 sqq. Idem haud raro plusquamperfectum imperfecti munere fungi sivit; exempla collegit Hassensteinus pag. 51.

DE PLUSQUAMPERFECTI CONIUNCTIVO.

A. Ex verbi temporibus, quae ea, qua in Romanicas q. d. linguas transibant, aetate sinceram veramque significationem et vim cum altera mutaverant, plusquamperfectum coniunctivi facile principem occupat locum, cum in formis, quas etiam nunc singulae linguae Romanicae habent, conservetur. Plusquamperfecti enim formae in linguis Romanicis imperfecti coniunctivi tenent locum, cum illis temporibus, quibus linguae Romanicae formari coeptae sunt, plusquamperfectum coniunctivi in vulgari usu simul imperfecti locum teneret ac tamquam tempus actionis praeteritae coniunctivi esset *κατ' ἐξοχήν*. De qua temporis commutatione Fothius,[1] ut iam supra dixi, acute disputavit. Quae commutatio quod apud Ammianum saepe legitur, vix mirum videtur, praesertim cum in ceteris quoque temporibus praeteritis et indicativi et

---

[1] vide pag. 12.

coniunctivi differentiae illae, quae olim inter singula intercesserunt tempora, saepe prorsus neglegantur. Monendum tamen est hoc plusquamperfectum coniunctivi nusquam nisi in secundariis sententiis mihi occurrisse, praecipue in condicionalibus, bis in relativis, semel in temporali.

a. Enuntiata condicionalia.

α. Imperfectum his locis, e quibus paucos iam Dederichsus pag. 11 congessit, exspectatur: 14. 11, 8 *ultimaque ni vigilasset opperiens, principem locum si copia patuisset adfectabat*; 20. 4, 18 *si perseverasset*; 20. 11, 16 *ni vigilasset*; 28. 1, 15 *si fuisset necesse*; 16. 1, 1 *si adfuisset*; 27. 10, 9 *nisi se defendissent*; 17. 1, 3 *ni excessissent*; 17. 10, 4 *si non ostendisset*; 30. 1, 16 *ora exacuere letalia cum primum potuissent, . . . nocituri.*

β. Addo singularem Ammiani sententiam ad taedium usque repetitam, de cuius praedicato dubitari potest, utrum recte plusquamperfectum sit positum necne. Optime enim imperfectum cum sententiarum conexu congruit: 15. 10, 10 *ut . . . si fors copiam tulisset . . decerneret*[1]; 16. 9, 3 *uti si copiam fors dedisset, suaderet*; 16. 11, 9 *misit, facinus memorabile ⟨si⟩ iuvisset fors patraturos*; 16. 12, 45 *si iuvisset fors* = 18. 8, 1 = 19. 3, 1; 27. 10, 10 *si fors ita tulisset* = 25. 3, 10; 31. 7, 6 *si fors copiam attulisset*; 19. 6, 7 *si prosperior iuvisset eventus*; 30. 5, 11 *si qua fors secundasset*; 31. 10, 11 *si . . . fors adfuisset*; 27. 9, 6 *si patuisset facultas.*

Denique monendum est in huius generis sententiis plusquamperfectum coniunctivi passivi non usurpari atque dedita opera vitari[2] — qui Ammiani mos est — propter longiorem passivi formam, locum autem eius tenet imperfectum passivi subiunctivi: 19. 9, 5 *supplicaverat regi ut, si daretur facultas, antequam . . . excederet finibus, in potestatem suam iuberet* (rex) *propitius maritum adscisci.*

---

[1] Recte Tacitus simili modo scripsit: Hist. II 44, 20 *hos certe nondum victos, et, si ita ferret, honestius in acie perituros*; Ann. III 15 *sociam se cuiuscunque fortunae et, si ita ferret, comitem exitii* (sc. fore) *promittebat.*

[2] Plusquamperfectum passivi apud Ammianum omnino vix decies quinquies exstat.

b. Enuntiata relativa. 19. 3, 2 *quibus Sabinianus renitebatur ut noxiis, palam quidem litteras imperiales praetendens, intacto ubique milite quicquid geri potuisset impleri debere aperte iubentes.* Ubi pro *potuisset* exspectes *posset.* 29. 2, 2 *nanctus enim copiam nominandi sine fortunarum distantia quos voluisset . . . multos intra casses lugubres includebat.* Contra recte imperfectum exstat: 20. 7, 8 *data copia dicendi quae vellet* et 16. 7, 3 *iussusque loqui quae vellet.*

c. Enuntiatum temporale. 20. 4, 22 *non antea discesserunt quam adsciti in consistorium fulgentem eum augusto habitu conspexissent.* Hoc uno loco antequam cum plusquamperfecto coniunctum est, ceteris locis simillimis recte cum imperfecto: 24. 2, 15 *non ante discessit, quam telorum congerie, quae superiaciebantur, se iam cerneret obruendum*; 20. 7, 16 *non ante discessit quam labefactata murorum parte reparata . . . armatos ibi locaret.*

B. Plusquamperfectum coniunctivi in enuntiatis secundariis saepissime exprimit coniunctivum futuri vel primi vel exacti: 16. 12, 45 *quo cognito opitulatum . . . Batavi venere . . . formidabilis manus, extremae necessitatis articulo circumventos, si iuvisset fors, ereptura*; 30. 5, 11 *arma parabat et alimenta, si qua fors secundasset, pervasurus oportune Quados*; 18. 8, 1 *iuvisset*; 17. 10, 9; 19. 3, 1; 27. 10, 10; 19. 6, 7; 31. 10, 11; 31. 7, 6; 21. 13, 1; 27. 9, 6; 17. 1, 3; 16. 2, 2; 30. 5, 2; 14. 1, 9; 14. 11, 8; 15. 10, 10; 16. 1, 1; 16. 9, 3; 16. 11, 9; 25. 3, 10; 20. 4, 8; 20. 4, 18; 27. 10, 9; 25. 4, 17; 25. 6, 1; 14. 1, 5, 6.

§ 5. FUTURA.

DE FUTURI I. INDICATIVO.

Futuri primi q. d. usus Ammianeus a vera temporis ratione non videtur discrepuisse, nisi quod ubi ex verbo *conveniendi* infinitivus verbi declarandi pendet, aliquotiens futurum *conveniet* pro praesente ponitur, etsi iam in praesente verbi *conveniendi* notio futuri inest: 21. 16, 1 *Bonorum igitur*

vitiorumque eius differentia vere servata, praecipua prima conveniet expediri; item 22. 14, 7; 22. 15, 3; 22. 15, 28; 23. 6, 32. Contra 21. 6, 1, ut par est, praesens positum est: *Replicare nunc convenit tempori et narrare.*

DE FUTURI I. CONIUNCTIVO.

Perraro coniugatione periphrastica Ammianus utitur, quippe qui verborum formas cum verbo substantivo compositas omnino evitaverit. Saepissime coniunctivus praesentis vel imperfecti locum obtinet coniunctivi futuri. Nec raro modorum convenientia neglecta indicativus usurpatur: 17. 10, 4 *quotiens sit* (= foret) *necesse*... *alimenta praeberet*; 21. 7, 3 *hunc enim obsequio celeri cuncta consideratione gemina efficere posse sperabat, quod adversam partem metueret offensam, et properabit*... *commendari Constantio*; 17. 2, 2 *quorsum* . . . *erumperet*; 14. 11, 11.

DE FUTURI II. INDICATIVO.

De futuro exacto vel secundo q. d. pauca dicam, cum in universum recte ab Ammiano usurpetur ac ne temporis quidem commutatio ita fiat, ut pro futuro I occurrat. Futurum II autem, quoniam est tempus relativum, saepe in enuntiatis secundariis collocatum legimus, cum in sententia primaria futurum I exstet: scilicet ut significetur altera actione — quae per sententiam secundariam enuntiatur — perfecta et absoluta alteram — quae sententia primaria continetur — esse futuram. Quod vero nusquam futuro II passivi usus est Ammianus, non mirabimur, qui quam sedulo formas compositas passivi evitaverit, identidem monuimus. 14. 7, 11 *Si cessaveris*... *auferri iubebo*; 14. 6, 12 *si*... *salutatum introieris, primitus*... *suscipieris*; 16. 12, 10 *si arbitrium adfuerit vestrum*, . . . *paucis absolvam.* Futurum II in utroque enuntiato (et primario et secundario) positum in Ammiani libris mihi non occurrit.

DE FUTURI II. CONIUNCTIVO.

Coniugatio periphrastica coniunctivi futuri II cum omnino ab Ammiano respuatur, aut imperfectum aut perfectum

aut plusquamperfectum coniunctivi vices agunt futuri II coniunctivi. De hoc usu supra satis disputavi pag. 22 sq. 29. 35.

§ 6. APPENDIX.

1. DE CONIUGATIONE PERIPHRASTICA.

Coniugationis periphrasticae q. d. formae apud Ammianum non admodum frequentes sunt.

Activum. 1. Participium praesentis cum copula *esse* Ammianus non coniunxit.

2. Participium futuri, quod saepissime apud eum occurrit, raro cum formis verbi *esse* coniungitur. Quam structuram adeo evitare videtur Ammianus, ut, ubi scriptorem aliquem exscribit vel imitatur, pro coniugatione periphrastica futuri vel solum participium futuri vel aliam aliquam constructionem usurpet:

cfr. Cic. Brut. 84, 289 *cum Demosthenes dicturus esset;*	Amm. 30. 4, 5 *Demosthenes quo dicturo;*
Cic. ad Att. II 21 *quorsus eruptura sit.*	Amm. 17. 2, 2 *quorsum erumperet.*

Quae duo exempla sufficient ad singularem Ammiani rationem dicendi patefaciendam.

Coniugatio periphrastica nusquam fere nisi in sententiis interrogativis obliquis exstare videtur: 15. 8, 16 *qui futurus sit colligebant*; 18. 5, 1 *qui sint venturi describens.*

Passivum. 1. Formas, quas dicunt imprimis Livianas, id est participium perfecti passivi vel deponentis cum *fuit, fuerat, fuerit, fuisset, fuisse* coniunctum, Ammianus nonnunquam usurpavit, ita tamen ut peculiarem singularemque ex more suo sequeretur rationem. Ac primum quidem nusquam indicativus legitur, sed coniunctivus et infinitivus, quinquies *fuisse,* septies *fuisset*, undecies *fuerit.* Deinde hae formae non in primariis sententiis ponuntur, sed tamquam e certis quibusdam coniunctionibus pendent; sunt autem hae,

de quibus modo dixi, particulae *cum* et *si*, sensu temporali et condicionali usurpatae. Quod si fit, semper tertia persona ac plerumque singularis numeri exstat. Postremum illud est, quod e viginti tribus exemplis, quae e libris omnibus collegi, tertia pars formam periphrasticam verbi *veniendi* praebet. Neque tamen hic usus per omnes libros aequabiliter valet, sed in prioribus et in postremis partim rarus est partim nullus, in mediis frequens: augetur exemplorum numerus usque ad librum 22, deinde rursus ita minuitur, ut libri 30 et 31 has formas Livianas non iam habeant: in libro 14 nusquam occurrit, 15 bis, 16 nusquam, 17 bis, 18 bis, 19 nusquam, 20 bis, 21 semel, 22 quater, 23 ter, 24 semel, 25 bis, 26 semel, 27 nusquam, 28 bis, 29 semel, 30. 31 nusquam. Hanc miram consuetudinem ad studia Ammiani Liviana referendam esse coniecerim. Quod utrum vero an falso sim suspicatus, videant alii. Iam exempla nonnulla proferam: 15. 5, 28 *aegre ferebat Silvanus . . . se et Ursicinum . . . ita fuisse despectos*; 25. 8, 15 *adeo enim atroci tabuimus fame, ut, si usquam modius unus farinae fuisset repertus . . . aureis decem mutaretur*; 22. 8, 43 *Cum autem ad alium portuosum ambitum fuerit ventum . . . Peuce prominet insula*; 15. 11, 1 *fuisse . . . divisae*; 17. 13, 11 *meriti fuisse*; 22. 8, 15 *fuisse diremptos*; 25. 9, 9 *fuisse delatas*; 18. 2, 15 *cum ventum fuisset*; 18. 6, 15 *fuisset praevisum*; 20. 9, 6 *ventum fuisset*; 20. 11, 19 *ventum fuisset*; 17. 1, 8 *ubi . . . visum fuerit*; 21. 13, 15 *si ventum fuerit*; 22. 11, 11 *si . . . temptatum fuerit*; 22. 8, 35 *si fuerint . . . delati*; 22. 8, 43 *cum . . . fuerit ventum*; 23. 4, 6 *cum . . . ventum fuerit*; 23. 4, 9 *si fuerit discussum*; 23. 5, 21 *cum . . . fuerit ventum*; 24. 3, 13 *si . . . inlita fuerit*; 28. 4, 32 *si . . . ventum fuerit*; 29. 1, 6 *nisi prospectum fuerit.*

2. Formae passivae participii futuri, quae vulgo gerundivum appellatur, non desunt exempla: cf. 30. 6, 4 *et quoniam . . . laxanda erat necessario vena, nullus inveniri potuit medicus,*

2. DE CONSECUTIONE TEMPORUM.

Consecutionem temporum Ammianeam fieri non potest ut separatam perscrutemur atque exponamus a modorum usu, cum praesertim usus temporum et modorum in enuntiatis secundariis tam arte inter se cohaereant, ut hoc neglecto alter recte intellegi nequeat. Quapropter malui in libro proximo rem continua oratione pertractare, eis tamen omissis, quae iam supra pag. 16—22 disputavi, ubi de coniunctivi repraesentatione disserui. Ibi igitur singula sententiarum genera percurram et quem modorum et temporum usum Ammianus secutus sit ostendam.

Priusquam autem ad rem ipsam accedo, nonnulla, quae facile hic absolvi possunt, breviter exponam. Ammianus in universum eam temporum convenientiam observat, quam aureae aetatis scriptorum auctoritas statuit et confirmavit; non raro tamen Graeci sermonis usum orationi immiscet, saepe vulgarem, interdum etiam proprias sibi leges constituit. Concordant plerumque inter se praesentia et futura enuntiationis primariae cum praesentibus et perfectis coniunctivi, tempora autem vere praeterita cum imperfectis et plusquamperfectis coniunctivi. Saepe vero per repraesentationem vel praesentia vel perfecta coniunctivi pro imperfectis vel plusquamperfectis occurrunt. Quam repraesentationem fieri praecipue in enuntiatis finalibus, consecutivis, interrogativis obliquis, rarius in reliquis iam supra pag. 16 exposui.

Tribus tantum locis coniunctivus imperfecti foede irrepsit pro coniunctivo praesentis:

1) 28. 4, 13 *Poscuntur etiam in conviviis aliquotiens trutinae, ut adpositi pisces . . . ponderentur . . . quorum magnitudo saepius praedicata non sine taedio praesentium . . . laudatur . . . maxime cum haec eadem numerantes notarii triginta prope adsistant cum . . . tabulis, ut deesse solus magister ludi litterarii videretur*; 2) 25. 3, 17 *nec me . . . gravis flagitii recordatio stringit vel cum in umbra . . . amendarer vel post principatum susceptum*; 3) 26. 4, 6 *Persarum rex manus Armeniis iniectabat . . . iniuste causando quod . . . nihil obstare debebit quo minus ea recuperaret.* Altero loco (25. 3, 17) *amendabar* rectius dixisset Ammianus; sed cum

subiunctivum praeferret, omni consecutione neglecta imperfectum subiunctivi pro indicativo scripsit. Tertio loco (26. 4, 6) *recuperaret* minus offendit, quippe quod in oratione obliqua positum sit.

Praesens historicum, quod proprie perfecti vice fungitur, duplicem praebet consecutionem temporum et perfecti et praesentis, ita tamen ut rarius praesentis convenientia ponatur: quater fere in enuntiatis finalibus, singula exempla in interrogativa obliqua, in consecutiva, in temporali sententia inveniuntur.

a. Exempla, in quibus convenientia perfecti observatur: 18. 2, 12 *decurrere iubentur per flumen adeo tacite, ut etiam remi suspenderentur*; 18. 7, 3 *mittuntur . . . compulsuri . . . campos . . . incendi, ne pabulorum suppeteret copia*; 18. 7, 9 *cum . . . venissent, . . . quid agerent, diu cunctati, . . . cognoscunt Euphratem . . . evagari.*

b. Exempla, in quibus convenientia praesentis observatur: 31. 4, 5 *mittuntur . . . qui . . . transferant*; 24. 4, 22 *murorum invaduntur . . . frontes ut . . . nec . . . audiretur . . . nec . . . emergat*; 31. 10, 3 *interrogantes . . . quid ageretur . . ., docet . . . signa moturum, ut . . . repellantur*; 28. 1, 24 *ne . . . acervi crescerent aerumnarum . . . legati mittuntur . . . oraturi, ne delictis supplicia sint grandiora, neve senator quisquam . . . exponeretur*; 14. 2, 13; 14. 6, 13.

En luculentissima exempla, quibus doceamur Ammianum temporum variationi enixe operam dedisse, nec fere usquam illam praesentis convenientiam adscivisse nisi in eis periodis, quibus altera sententia ex eodem praesente historico pendens coniunctivum imperfecti i. e. convenientiam perfecti praebeat: inde sequitur, ut praesens historicum coniunctivi in sententiis e praesente historico pendentibus ad solam variationem efficiendam in altera sententia usurpetur, cum altera sententia cum imperfecto construatur.[1]

---

[1] Perfecti convenientiam Ammianus etiam in enuntiatis, quae ex praesente historico coniunctivi enuntiati secundarii pendent, sequi videtur; atque imprimis ex possit, ubi hoc pro posset usurpatur (de quo singulari usu supra disputavi pag. 20 sqq.), nusquam alterum praesens historicum coniunctivi pendet, sed semper imperfectum: 18.

LIBER ALTER.

DE MODORUM USU.

§ 1.

a. DE INDICATIVO.

1. Verborum quae sunt *possum, licet, debeo, decet, convenit, oportet* a Cicerone ceterisque scriptoribus optimis saepe indicativus modus usurpatur, cum in lingua germanica coniunctivus ponatur. Ammianus autem non nimis accurate illam dicendi consuetudinem sequitur ac nescio qua de causa huius verbi semper coniunctivum, illius indicativum ponit: 31. 7, 2 *qui cum ad loca venissent, ubi particulatim . . . multitudo minui deberet hostilis, . . . legiones . . . opposuere . . . barbaris*; 15. 1, 3 *quod . . . deberet*; 26. 9, 10 *si rebellem* (prodidissent) . . . *amplas . . . oportuerat deferri mercedes*; 20. 8, 18 *quarum* (litterarum) *seriem nec scrutari licuit nec si licuisset proferre decebat in publicum*; 15. 4, 2 *et navigari ab ortu* (Nilus) *poterat, . . . ni ruenti curreret similis potius quam fluenti*; 17. 1, 14; 17. 7, 8; 30. 7, 7; 30. 7, 11; 14. 6, 20; 22. 4, 2; 22. 8, 14; 27. 3, 15.

2. Item adverbium quod est *paene* modo cum indicativo modo cum coniunctivo coniungitur: a) cum indicativo: 30. 7, 7 *prope Solicinium locum, ubi insidiis paene perierat circumventus, ad exitium ultimum delere potuit universos*; 30. 7, 8 *Saxonas . . . delatosque tunc ad terrestres tractus, quorum spoliis paene redierant locupletes, malefido . . . commento peremit*; 29. 1, 4 *qui dum ibi moratur . . . interim . . . paene perierat fraudibus.*

b) cum coniunctivo: 16. 2, 10 *paene delessent*; 29. 6, 14; 17. 4, 4.

Prope semel cum verbo finito positum est, atque id quidem cum coniunctivo potentiali: 19. 12, 13 *cuius ex nutu*

2, 2 *miserat regem . . ., ut . . . scitari possit quid molirentur*; 19. 7, 5 *noctis spatium maius consumptum est, ut excogitari possit quid exitio ita atroci obiectaretur*; 20. 11, 12 *ut possint facile qui essent agnosci, nudantes galeis capita . . . fundebantur.*

prope dixerim pendebat . . . omnium salus. — Itaque iniuria Dederichsus (pag. 14) haec scripsit: *Adverbia quae sunt paene et prope apud Livium et Tacitum causa indicativi adhibendi sunt. . . Hac in re Ammianus recedit ab illorum scribendi modo, cum solo coniunctivo usus sit.* Immo adverbium *paene* apud Ammianum ter cum indicativo, ter cum coniunctivo construitur; de adverbio *prope*, quia semel cum coniunctivo potentiali consociatum exstat, dici nequit, utrum Ammianus, si saepius id usurpasset, coniunctivum an indicativum positurus fuerit.

3. Recte Hassensteinus (pag. 45) disputavit de generalibus q. d. pronominibus, quae sive duplicatione sive addito *-cunque* formantur, cum diceret haec ab Ammiano saepissime cum indicativo, minus frequenter cum coniunctivo coniungi. Sed propriam causam, cur coniunctivus adhibeatur ab Ammiano, vir doctus non exposuit; qua de re infra dicam.

b. DE CONIUNCTIVO.

1. Coniunctivus potentialis, et qui praesentis et qui praeteriti vulgo vocatur, ab Ammiano frequenter usurpatur, quorum ille rarius coniunctivi praesente, plerumque perfecto, hic imperfecto exprimitur.

α. coniunctivus praesentis: 28. 4, 27 *cum adiguntur ut reddant* (mutuum datum), *ita cothurnatos et turgidos* (videbis), *ut Heraclidas . . . putes*; 28. 4, 22 *pereunt, ut . . . putes . . .*; 29. 2, 13 est unicum exemplum coniunctivi praesentis pot. in enuntiato primario positi: *nolim dicere.*

β. coniunctivus perfecti in sententiis primariis positus exstat: 20. 8, 15 *hoc . . . firmaverim*; 20. 8, 7 *sed bona tua venia dixerim*; 21. 13, 12 *ausim dicere*; 31. 2, 9 *facile dixeris*; 19. 12, 13 *prope dixerim.* In sententiis secundariis: 14. 6, 20 *quocumque oculos flexeris*; 29. 1, 22 *quae etiam si recta fuisse concesserit quisquam, erat tamen ipsa nimietas odiosa*; 14. 8, 8 *civitas cui non certaverit alia*; 28. 1, 57 *ut ita dixerim* = 20. 8, 9 = 20. 11, 3 = 17. 3, 3.

Si verba in coniunctivo potentiali posita accuratius consideraverimus, maximam partem verba declarandi et imprimis verbum dicendi usurpata videbimus.

γ. coniunctivus potentialis q. d. praeteriti in sententiis primariis locum non habet. 15. 2, 9 *nec defuere deinceps ex his ermergentia casibus, quae dispiceres secundis avibus contigisse*; 16. 10, 8 *et incedebat hinc inde ordo . . . armatorum . . . sparsique . . . equites . . . limbis ferreis cincti, ut Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros*; 17. 4, 15 *digestisque ad perpendiculum altis trabibus, ut machinarum cerneres nemus, innectuntur vasti funes.*

2. Optativi vim coniunctivus saepe habet. Ammianus antiquiorum scriptorum mori congruens coniunctione, quae est *utinam*, votum loquentis aut nunquam aut nondum expleri posse indicat: 28. 1, 1 *quas* (clades) *obliterasset utinam iuge silentium*; 21. 13, 12 *utinam . . . fuisset*; 29. 2, 13 *utinam . . . loqueretur.*

Contra praesente vel perfecto coniunctivi exprimitur fieri posse, ut is, qui loquitur, rem optatam assequatur: 17. 13, 32 *integra omnium patrimonia nostri labores et fortitudo servarint.*

3. Coniunctivi adhortativi et concessivi exempla plura proferre supersedeo, cum hic usus satis late apud Ammianum pateat: 15. 11, 18; 16. 12, 12; 16. 12, 31, 32, 33; etc.

c. DE INDICATIVI ET CONIUNCTIVI PERMIXTIONE ET COMMUTATIONE.

Ut temporum ita modorum commutatione Ammianus persaepe utitur. Qui quamquam plerumque optimorum scriptorum consuetudinem sequitur, tamen modo Graeco usui vel vulgari indulget, modo singulares et absurdas ipse sibi constituisse videtur leges, quas mira constantia observat. Quam rem gravissimam homines docti, qui usque adhuc ad syntaxim verbi tractandam accesserunt, non satis intellexerunt. Sed priusquam modorum usum et commutationem in singulis minorum sententiarum generibus pertractem, exempla proferam nonnulla, quibus in uno eodemque verborum ambitu et coniunctivus et indicativus modi coordinatione iuncti exstant, cum utrobique aut indicativus aut coniunctivus exspectetur. Manifestum est Ammianum in hoc usu cupiditati

variandi indulsisse. Tamen certos fines admittit et normam quandam in summa licentia observat, neque in omnibus sententiarum generibus modos variat. Plerumque obviam fit haec modorum confusio in iis sententiis, quae e coniunctionibus modo coniunctivum modo indicativum regentibus pendent: imprimus *cum* et *quod*; praeterea nonnullae sententiae relativae et paucae sententiae alius generis modum variant.

a. *cum*.

19. 6, 13 *Cum inter caesorum cadavera optimates invenirentur et satrapae, clamoresque dissoni fortunam aliam alibi cum lacrimis indicabant, luctus ubique et indignatio regum audiebatur*; 25. 9, 5 *moenia permixta sunt lamentis . . . et . . . una vox cunctorum erat gementium, cum laceraret crines matrona . . ., orbataque mater . . . pelleretur et turba flebilis . . . lacrimabat*; 22. 1, 2 *cum . . . timeret . . . eratque* (sic Hauptius acute pro *atque*, cf. Op. II 496); 14. 2, 13 *cum . . . nec . . . possit nec procedebat . . .*; 31. 14, 6 *cum vellet . . . destinatisque mandabat*; 25. 3, 19 *timidus est et ignavus, qui cum non oportet mori desiderat et qui refugiat, cum sit oportunum*; 17. 5, 13 *est enim absonum et insipiens cum gestarum rerum ordine placatae sint aurae invidiae, . . . cum deletis tyrannis totus orbis Romanus nobis obtemperat, ea prodere, quae . . . servavimus.* Iam Hauptius (Op. II 496) ab Ammiano modorum variationem appeti perspexit, cum diceret: *suspendit Ammianus ex* cum *coniunctione primum coniunctivum, deinde indicativum,* et tria exempla huius usus addidit. Sed parum constanter sibi Hauptius iudicavit, cum (Op. II 379, 380) Ammiani contextum (17. 5, 13) ita restituere vellet, ut propter sequens *cum optemperat* scribendum esse censeret *cum placatae sunt* neque hunc errorem postea (pag. 496) corrigeret. Immo retinendum est *cum placatae sint*, cum haec lectio et codice confirmetur et ad usum loquendi supra expositum quadret.

b. *quod*.

21. 16, 7 *quod . . . nec . . . est visus, nec . . . gustaverit, . . . praetermitto*; 21. 7, 3 *hunc . . . cuncta consideratione gemina efficere posse sperabat, quod adversam partem metueret offensam, et properabit nanctus hanc oportunitatem*; 14. 11, 7 *ad*

hoc unum mentem sollicitam dirigebat, quod Constantius . . . nec satisfactionem suscipiet aliquam nec erratis ignoscet, sed . . . si cepisset incautum, morte multaret (si ceperit, multabit: quod postea factum est); 24. 7, 5 *poterit, faterentur*; 14. 11, 11 *qui eum . . . pellexit . . . saepius replicando quod . . . eum videre frater cuperet patruelis, . . . participemque eum suae maiestatis adsciscet.* Gardthausenus *adscisceret* recipit secundum C. F. W. Muelleri emendationem. Sed puto Ammianum *adsciscet* scripsisse. Codex V locum leviter corruptum praebet: *adsciso et.* Littera *o* sine dubio aut ex *c* neglegenter exarata originem duxit aut perperam pro *c* descripta est. Modorum variatio (*cuperet, adsciscet*) nihil habet quod offendat. Deinde *adsciscet* cum sententia prorsus congruit. (De hoc usu ampliora leguntur p. 29 adnot.)

c. aliae enuntiationes.

14. 10, 1, 2 *Haec dum oriens diu perferret, . . . Constantius . . . Valentiam petit . . .* (2) *dumque ibi moratur . . . Herculanus advenit*; 25. 3, 10 *et quamvis offundebatur oculis altitudo pulveris et aestus calescens officeret alacritati membrorum, tamen . . . ruebat in ferrum*; 25. 3, 15 *perdoctus, quantum corpore sit beatior animus et contemplans, quotiens condicio melior a deteriore secernitur.*

d. De modis orationis obliquae recte Hassensteinus (pag. 37) haec docuit: *Graecum usum sequentes Livius, Tacitus, Iustinus, saepissime Ammianus in enuntiatis minoribus orationis obliquae indicativum ponunt pro coniunctivo, etiamsi ex loquentis non scribentis sensu ea emanare intellegendum est.* Saepe modi sententiarum minorum variantur; unum cito exemplum: 15. 5, 7 *testabatur enim id se procul dubio scire quod, siqui mitteretur externus, suopte ingenio Silvanus . . . conposita forte turbabit.*

§ 2.

DE MODORUM USU IN SENTENTIIS SECUNDARIIS.

Indicativus ut in sententiis primariis ita in secundariis legitur, si is qui loquitur absolute indicare vult rem

de qua agitur vel factam esse vel fieri vel futuram esse. Coniunctivo autem proprie actio quaedam exprimitur, quae utrum fiat necne, e condicione aliqua pendet. Sed iam ante Ciceronis aetatem genuina illa coniunctivi vis vitiari coepta est. Coniunctivo enim in certis quibusdam enuntiationibus ita quoque utebantur scriptores, ut hoc artificio indicarent sententiam alteri sententiae grammatice esse subiunctam. Itaque e coniunctivo tamquam subiunctivus modus natus est: veluti in sententiis mere temporalibus, causalibus, mere consecutivis ac praecipue in oratione obliqua. Sed neque aequabiliter neque omnes constanter scriptores aureae aetatis subiunctivum in his sententiis usurpaverunt, cum ne omnes quidem coniunctiones temporales subiunctivo insignes esse vellent. Cfr. e. g. de coniunctionis *cum* usu et fatis Luebbertum (Gramm. Stud. II), velut in Plauti Aululariae versu 178 legitur *Praesagibat mi animus frustra me ire, quom exibam domo*; contra Cicero (de div. I 31, 65) eiusdem septenarii hanc citat formam: *Praesagibat animus frustra me ire, cum exirem domo.* Cum 'subiunctivi' usus sensim pedetemptimque apud posteriores latius serpserit, Ammianus Cicerone constantius subiunctivum coluit, si quidem non solum temporales coniunctiones paene omnes sed etiam saepe causales, concessivas, alias cum coniunctivo construxit. Nonnunquam tamen propriam secutus rationem usum coniunctivi restrinxit ac saepe proprias sibi constituit leges, veluti in usu coniunctionum *quamquam, licet, quamlibet, quod,* aliarum. Quam rem neque Dederichsus neque Hassensteinus satis perspexerunt.

In eis quae sequuntur primum de usu earum coniunctionum disseram, quae cum utroque modo (et indicativo et coniunctivo) coniunguntur, deinde de eis, quae cum solo indicativo, denique de eis, quae cum coniunctivo construuntur.

I. DE CONIUNCTIONIBUS CUM INDICATIVO ET CONIUNCTIVO CONSTRUCTIS.

A. SENTENTIAE TEMPORALES.

I. *Dum.* Saepissime *dum*, non secus atque apud optimos fit scriptores, cum praesentis historici indicativo con-

iungitur, si actio enuntiati primarii praeterito quidem tempore facta est, sed tum fieri coepta est, cum actio sententiae secundariae iam fiebat atque durabat ita, ut utraque actio tum simul fieret. Significat autem: *eodem tempore quo*: 16. 9, 4 *dum . . . haec scripta mittuntur, . . tempus interstitit longum*; 15. 5, 17; 7, 1; 8, 7; 16. 2, 8; 10, 1; 11, 14; 12, 38; 30. 1, 15; 24. 4, 7; 5, 9; 25. 3, 2; 3, 4; 3, 14 et 15; 4, 12; 5, 3; 6, 1; 7, 1 et 7; 8, 4 et 5; 9, 8; sescenties alibi.

Ab hoc usu optimorum scriptorum Ammianus non raro descivit, cum construeret *dum*

1) cum imperfecti indicativo: 19. 11, 12 *stipatores tamen pauci dum . . . conabantur arcere, . . . interierunt*; 27. 10, 14 *haud parva mole certatum est, dum . . . res gerebatur*; 31. 5, 6 *dum . . . vino marcebat et somno, . . . satellites omnes . . . occidit*; 17. 3, 1 *dum . . . credebat*; 28. 1, 13 *dum studebat*; 28. 1, 34 *dum supererat*; 31. 12, 8 *dum . . . parabantur*; 30. 5, 3 *dum sperabatur.*

2) semel cum perfecti indicativo: 30. 3, 7 *periit autem in Francia postea, quam dum internecive vastando perrupit avidius, oppetit.* Puto levi emendatione potius *perrumpit* legendum esse.

3) semel cum plusquamperfecti indicativo: 27. 11, 1 *Per haec tempora Vulcatio Rufino absoluto vita, dum administrarat* ('starb während seiner Verwaltung'). Rectius certe legemus *administrabat.*

4) a. saepe cum imperfecti subiunctivo (in enuntiato primario autem vel praesens historicum vel imperfectum — semel adeo plusquamperfectum 18. 6, 10 — legitur).

b. Quin etiam cum eodem tempore (imperf. subiunct.) iuncta *dum* particula apud Ammianum significat *per idem tempus, quo* ('so lange als'). Hassensteinus (pag. 44, 45) utraque significatione non distincta exempla permixta protulit. Etsi perdifficile multis locis sit internoscere, utra significatio praevaleat, duo illa genera discernere conabor.

a. *Dum* significat 'während', ubi optimi scriptores praesens historicum ponunt: 14. 10, 1 et 2 *Haec dum oriens diu perferret . . . Constantius . . . Valentiam petit . . . dumque ibi moratur . . . Herculanus advenit*; 17. 13, 27 *persultabat*

Illyricum furor hostilis ... dum Italos tueremur et Gallos; 18. 6, 9 *dum . . . perurgerentur ... ignes . . . perlucebant*; 18. 6, 10 *quem mater dum . . . fugeret . . . reliquerat solum* (pro *dum fugeret* potius *cum fugeret* legendum est, ut sententiarum conexui satis fiat); 18. 8, 11 *dum ... conarer ... petebam*; 20. 6, 1 *Haec dum per Gallias agerentur . . ., rex ille Persarum, ... dum ageret cum exercitu procul, Constantius . . . adoritur Singaram*; 20. 11, 12 *dum instrueretur ... defensabatur*; 22. 11, 9 *dum . . . praeesset ... detondebat*; 24. 4, 21 *dumque haec luce agerentur ... nuntiatur imperatori*; 24. 5, 5 *dum . . . tres . . . cohortes . . . decertarent, . . . proruptores . . . iumenta . . . intercipiunt et obtruncant*; 28. 2, 4 *dum operaretur.*

b. *Dum* idem est atque 'so lange als': 18. 3, 6 *ea re multis exosus quod . . ., dum domesticos protectores sub Gallo regeret Caesare, proditor erat*; 19. 12, 2 *nec furtis abstinuit, innocentibus exitialis causas adfingens, dum in calamitosis stipendiis versaretur*; 22. 9, 1 *haec quoque adiciens, quod, dum teneret imperium solus nec motibus internis est concitus*; 22. 9, 9 *dum esset*; 27. 4, 10 *dum . . . vigeret*; 28. 1, 7 *dum superesset ille ..., tractabilis erat*; 29, 1, 11 *dum . . . agitaretur*; 30. 7, 5 *dum esset*; 31. 7, 15 *dum ... excitaret*; 31. 10, 18 *dum . . . inserperet.*[1]

Ubi causalem vim habeat, particulam *dum* construi cum coniunctivo iam Hassensteinus pag. 45 recte monuit atque exemplis illustravit: 15. 2, 9; 30. 5, 17; quibus addo 17. 13, 23 *et qui animas amittere potius quam cogi solum vertere putabantur, dum licentem amentiam libertatem existimarent . . . sedes alias suscipere sunt adsensi.*

Singulare illud est, quod adeo adversativam significationem duobus locis praebet particula *dum* idque 'cum 'subiunctivo' coniuncta; quod cum longe recedat ab usu, quem ceteroqui in litteris Romanis deprehendimus, facile fieri potest, ut *dum* ex *cum* corruptum sit. Sunt loci hi: 28. 4, 9 *et*

---

[1] *Dum* particulam ('so lange als') ter sequitur indicativus: 16. 12, 13 *ad dimicandum eos, dum adesse potuit, incitabat*; 14. 6, 3 *victura, dum erunt homines, Roma*; 31. 13, 8 *qui, dum multitudo tolerabatur hostilis, fixis corporibus steterant inconcussi.*

haec admittunt hi, quorum apud maiores censoria nota senator adflictus est, ausus, dum (an scribendum *cum*?) *adhuc non deceret praesente communi filia, coniugem osculari*; 29. 1, 18 *nocentes innocentesque maligna insectatione volucriter perurgebat, ut, dum* (scribendum *cum*?) *adhuc dubitaretur de crimine, imperatore non dubitante de poena, damnatos se quidam prius discerent quam suspectos.*

Postremo agam de particula *dum* 'usque ad id tempus quo' significante. Quae undecies cum coniunctivo, ter cum indicativo coniungitur.

Coniunctivi exempla sunt haec: 17. 4, 13 *iacere diu perpessus est, dum translationi pararentur utilia*; 18. 8, 6 *simul haec dicens . . . abscessit non aversus, sed dum evanesceret verecunde retrogradiens*; 15. 8, 10 *stansque imperator inmobilis dum silerent, residua fidentius explicavit*; 21. 7, 7 *operiens dum . . . indicarent*; 21. 13, 2; 22. 9, 17; 22. 14, 1; 24. 4, 25; 24. 7, 7; 25. 8, 3; 29. 4, 7.

Indicativi haec: 1) 14. 11, 5 *vicarius eius, dum redit, Prosper missus est comes.* 2) Uno loco Ammianus *usque dum* (= *dum*) utitur: 31. 2, 15 *ideoque plaga omnis orienti aestivo obiecta, usque dum venitur ad Seras, inhabitabilis mansit.* 3) Tertio loco exspectes pro *dum* particulam *quam* ad praecedentem *ante* pertinentem: 17. 10, 8 *non ante absolvit, dum omnes rediere captivi* (non ante absolvit = retinuit).

II. Mirum est Ammianum particulae *donec* usum prorsus respuisse, cum constet Tacito omnium antiquorum scriptorum maxime eam in deliciis fuisse. Sallustium igitur et Caesarem, qui ea nusquam utuntur, imitatus videtur esse.

III. De usu coniunctionis *quoad* cum Dederichsus (pag. 25) parum plene egerit, rem retractabo. Coniunctionis *quoad* tres significationes apud Ammianum exstant. Primum significat 'per idem tempus, quo', deinde 'eodem tempore, quo', denique 'usque ad id tempus, quo'. Prima et altera significatio quinqies decies, tertia semel obviam fit. Memorabile autem est *quoad* illud cum nullis aliis praedicatis coniungi quam undecies cum verbo *vivendi*, ter cum verbo, quod est *posse*, bis cum *esse*. Cum ceteris autem

4

verbis plerumque *dum* coniunctio consociatur. Primae et alteri significationi ubi inservit, coniunctio *quoad* cum indicativo construitur, duo loci soli coniunctivum perfecti potentialem exhibent. Significationis tertiae 'bis dass' unum exstat exemplum, quod, cum oratio obliqua sit, coniunctivo efficitur. Quam ob rem ambiguum est, utrum Ammianus, si saepius in particula *quoad* hunc sensum inesse voluisset, coniunctivum an indicativum positurus fuerit. Iam locos congeram, quotquot omnino exstant:

Quoad significat 'so lange als, während': a) sequente indicativo: 16. 10, 18 *insidiabatur Eusebia, ipsa quoad vixerat sterilis.* Eodem modo sexies *vixerat* pro vivebat vel vixit exstat: 15. 1, 2; 16. 12, 25; 17. 4, 3; 21. 16, 7; 26. 9, 11; 30. 1, 2. Recte *vixit* legitur 27. 11, 2.

Posse: 16. 11, 14 *quoad potuit*; 17. 2, 1 *quoad fieri poterat*; 21. 16, 15 *quoad stare poterunt.*

Esse: 25. 4, 14 = 20. 8, 5 *quoad fuit* (locus 18. 6, 9 ab Dederichso falso citatur);

b) sequente coniunctivo potentiali: 14. 4, 5 *quoad vixerint, late palantur.* De hoc loco Dederichsus haec dixit: *futurum II pro praesente legitur... usu satis miro, quare nescio an melius sit perfectum vixerunt.* Equidem non intellego, cur *vixerint* futurum II sit, cum id tempus hoc loco idoneo careat sensu. *Vixerint* est coniunctivus perfecti potentialem vim habens, itaque sensum praesentis praebet. Servandum igitur est *vixerint*, quod optime sensui accommodatum est, neque *vixerunt*, quod Dederichsus proposuit, recipiendum. — Ea, quae Dederichsus dixit, nescio an melius ad hunc locum a Dederichso allatum quadrent: 16. 7, 3 *apparitoremque fidum auctori suo quoad vixerit fore . . . spondebat.* Hoc loco *vixerit* aut futurum II pro futuro I positum videri potest aut perfectum coniunctivi, sive potentialis sive pro 'victurus esset' positi.

Quoad 'bis dass' significans semel exstat in oratione obliqua: 21. 5, 10 *iuravere... omnes... casus, quoad vitam profuderint, si id necessitas exegerit, perlaturos* (*profuderint* pro *profudissent* scriptum est, cf. p. 21 sq.).

IV. Coniunctio temporalis *ubi* plerumque recte cum perfecto indicativi construitur ad significandam actionem, quae semel accidit. Sed nonnunquam ab optimorum scriptorum usu longe regressus Ammianus eam cum quibuslibet temporibus praeteritis et indicativi et coniunctivi iunxit.

1. Imperfectum indicativi: 21. 12, 8 *ubi parum vis procedebat Marte aperto temptata, ad instrumenta obsidionalium artium transtulerunt*; 31. 13, 3 *verum ubi effusi... barbari iumenta conterebant et viros et neque... poterat... et ... adimebat: nostri... obtruncabant*; 14. 5, 4 *ubi... dicebatur*; 26. 7, 8 *ubi . . . factio firmiter videbatur esse conposita, restabat ut abundans cogeretur militum manus.*

2. Imperfectum coniunctivi: 19. 4, 1 *Sed in civitate ubi . . . cadaverum multitudo humandi officia superaret, pestilentia . . . accessit*; 21. 12, 17 *et ubi... celsiore fiducia repugnarent, flumen laboribus avertitur*; 24. 4, 16 *ubi . . . iam moenia perurgerent,... funditores . . . eos longius propulsabant*; 24. 5, 9 *ubi . . . exercitus... festinaret, eruptores ...reverterunt*; 28. 5, 13 *quod ubi negari... sentirent... discesserunt.*

3. Plusquamperfectum indicativi: 19. 2, 6 *vixque ubi Grumbates hastam... coniecerat..., armis exercitus concrepans involat*; 27. 2, 9 *revertens, ubi nullum reppererat, didicit regem . . . captum.*

4. Plusquamperfectum coniunctivi: 14. 2, 20 *haec ubi latius fama vulgasset missaeque relationes adsiduae Gallum Caesarem permovissent, . . . iussus comes... properabat*; 19. 1, 7 *quem ubi venientem... contemplator peritissimus advertisset, contorta ballista filium . . . perfodit*; 30. 5, 2 *ubi fors copiam dedisset . . . e statione proxima reprimebat barbaricos adpetitus.*[1]

V. De coniunctione *postquam* semel cum coniunctivo constructa cf. infra pag. 69 sq.

VI. Coniunctionibus *antequam* et *priusquam* Ammianus non saepe usus est; *priusquam* ni fallor semel (19, 2, 12)

[1] *Ubi* cum perfecti coniunctivo structum de re semel facta non exstat. De particula *ubi* actionem repetitam significante vide in ea parte, in qua de coniunctionibus iterativis agitur (p. 53 sqq.)

legitur. Cum coniunctivo conexas has coniunctiones praeter unum locum usquequaque invenies: 22. 15, 26: *antequam finibus suis excedunt, proeliis superatos .... vorant.* Exempla coniunctivi sunt haec: Praesens 23. 4, 3 *ut antequam telum cernatur, dolor letale vulnus agnoscat*; 30. 7, 10 *antequam negotium effervescat, oppressit* (cf. pag. 20). Perfectum habes: 14. 6, 23 *additumque est ... ut famulos ... non ante recipiant domum quam lavacro purgaverint corpus*; 28. 4, 24 *nec lavari arbitrantur, ... antequam ... didicerint*; 31. 2, 5 *tunica . . . non ante deponitur aut mutatur quam diuturna carie in pannulos defluxerit.* Imperfectum: 19. 2, 12 *ac priusquam lux occiperet, ... copiae ... ferebantur*; 21. 12, 1; 20. 7, 16 *non ante discessit quam ... cerneret.* Semel male plusquamperfectum pro imperfecto collocatum est: 20. 4, 22 *non antea discesserunt quam ... fulgentem eum augusto habitu conspexissent* (cf. p. 35).

VII. Usum coniunctionis temporalis *cum*, ubi de re semel facta agitur, et Dederichsus et Hassensteinus explanare supersederunt. Coniunctio *cum* sive mere temporalis est, sive simul causalem vim habet, plerumque cum imperfecto vel plusquamperfecto coniunctivi iungitur, ubi de actione semel facta agitur. Atque tam late patet hic usus, ut etiam particulam compositam *cum primum* imperfectum coniunctivi sequatur: 19. 1, 2 *cumque primum aurora fulgeret, universa ... armis stellantibus coruscabant.* Similiter: 19. 1, 7 *Ideoque cum prima lux advenisset, rex . . . tendebat ad moenia*; 23. 2, 2 *proinde cum primam consultae rationes copiam praebuissent, . . . transire iussit Euphraten.*

Admodum pauci sunt loci, si frequentissimum usum particulae *cum* spectes, qui a lege de coniunctivo supra exposito discordent. Sunt autem hi:

1. *cum* particula conectitur cum praesentis historici indicativo: 29. 1, 26; 25. 4, 23; 30. 5, 17; 20. 2, 1. De quo usu iam pag. 10. 11 disputavi. Neque vero usquam praesentis historici coniunctivus legitur.

2. cum indicativo imperfecti: 30. 4, 5 *Florebant . . . tribunalia, cum oratores . . . ingenio fide copiis ornamentisque dicendi pluribus eminebant, ut Demosthenes*;

26. 8, 3 *discedere iam parabat, cum inter haec clausi . . . portis egressi, . . . properabant ardenter circumventuri Valentem.* Habemus hoc loco *cum* q. d. 'inversum', quod ab optimis scriptoribus cum perfecti indicativo consociatur. Alterum exemplum particulae *cum* q. d. 'inversi' vide infra. Duobus his qui sequuntur locis imperfectum coniunctivi indicativo varietatis causa adiungitur: 19. 6, 13 *cum inter caesorum cadavera optimates invenirentur et satrapae clamores dissoni fortunam . . . indicabant, luctus ubique . . . audiebatur*; 25. 9, 5 *una vox cunctorum erat gementium, cum laceraret crines matrona . . . orbataque mater . . . pelleretur, et turba flebilis . . . lacrimabat.* Ubi cum imperfecti indicativi procul a *cum* remoti sint, Ammianus coniunctivi, quem ponere debebat, fere oblitus videtur esse.

3. Perfectum indicativi tribus locis legitur: 16. 12, 20 *quos cum . . . conspexere ductores, steterunt*; 19. 7, 4 *cumque propinquantes ad coniectum venere telorum . . . pedites . . . laxarunt aciem*; 23. 6, 7, 8 *Satisque constat hanc gentem . . . aerumnis maximis inminutam primo per Cyrum . . .* (8) *deinde cum Dareus posteaque Xerxes Graeciam . . . adgressi cunctis paene copiis . . . consumptis vix ipsi tutum invenere discessum.* Scribendum erat *invenissent* utpote in oratione obliqua; sed in tanto verborum ambitu hoc facile excusabis.

4. Perfecti coniunctivus item ter vice fungitur plusquamperfecti: 14. 7, 9 *mandabat... ut cum in Syriam venerit, Gallum . . . dehortaretur*; 23. 2, 6 *ubi cum introierit . . . portas, . . . sinistra porticus subito lapsa, . . . quinquaginta milites . . . conlisit*; 24. 2, 1 *Sed hactenus responderunt, quod cum interiora occupaverint . . . Romani, se quoque . . . victoribus accessuros* (cf. pag. 22).

5. Plusquamperfecti indicativus semel locum perfecti indicativi post *cum* 'inversum' obtinet: 27. 7, 1 *vix dies intercessere pauci, cum Mamertinum . . . Avitianus . . . peculatus detulerat reum* (= vix intercesserant, cum detulit).

VIII. Sententiae iterativae.

Sententiae iterativae sunt vel condicionales (*si*) vel temporales (*cum, si, ubi, quoties, ut*) vel relativae (*qui, quicunque*).

Iam particula *si* apud Ammianum modo sensum et temporalem et condicionalem, modo mere temporalem habet, ita ut frequentior eius usus quam ceterarum particularum temporalium sit. Particula *cum* secundum locum obtinet, tertium coniunctio *ubi*. Hanc particulam Ammianus vitat. Qui etiamsi scriptores optimae aetatis exscribat, pro particula *ubi* usitatiorem *si* substituit, atque etiam in tempore et modo eligendis suae ipsius proprietati indulget. Ad hanc rem demonstrandam unum citabo Livii locum, quem ab Ammiano receptum Michaelis *de Ammiani Marcellini studiis Ciceronianis* Vrastisl. 1874 (pag. 4) indicavit. Livius XXVII 49, 1 *id, ubi saevire beluae ac ruere in suos coeperant magister . . . adigebat*. Contra Ammianus ex suo more scribit: 25. 1, 14 *et magistri si ferociens animal vires exsuperasset regentis . . . vertebram ictu maximo terebrabant*. De sententiis condicionalibus iterativis tam plene disputat Dederichsus (pag. 8. 9), ut nihil habeam quod addam. In his igitur iterativis Graecum modum sequitur Ammianus. Ubi enim Graeci coniunctivo vel praesentis vel aoristi addita particula ἄν utuntur, ibi Ammianus plerumque coniunctivum perfecti, rarius praesentis ponit; ubi apud illos optativus aut praesentis aut aoristi in usu est, ibi hic imperfecti vel plusquamperfecti coniunctivo utitur. Qui usus cum inde a Livii aetate e Graecorum imitatione in litteras romanas transfluxisset, ab Ammiano, ut erat natione Graecus, praecipue colebatur. Rarissimae igitur sunt exceptiones in sententiis iterativis condicionalibus, neque ulla occurrit in sententiis quae particula *si* introducuntur. Quam ob rem Dederichsus recte apud Ammianum hanc legem valere contendit, quae non solum in condicionalibus sententiis iterativis sed etiam in temporalibus valet:

A. *In generalis notionis et iteratae actionis enuntiatis, quae omnibus valent temporibus, eam secutus legem Ammianus, ut semper in protasi praesentis aut perfecti coniunctivum, in apodosi autem indicativum praesentis aut futuri aut imperativi adhiberet, excepto uno loco* (16. 7, 9) *quo coniunctivus, et in protasi et in apodosi legitur.* Cui legi hoc addam, quod ad usum particularum *cum* et *ubi* pertinet: particulam *cum* non-

nunquam praesentis indicativo, rarissime praesentis coniunctivo, semel perfecti indicativo adiungi. Plerumque autem fit, ut in descriptionibus rerum naturae, quae res certis quibusdam intervallis ac condicionibus repetuntur, coniunctiones *cum* et *si* vel altera alteram excipiant, vel si coniunctio *cum* plus quam semel ponitur, praesens indicativi alternet cum perfecti coniunctivo, vel particula *si* modo cum perfecti modo cum praesentis coniunctivo iungatur, cuius varietatis exempla hos tres locos longiores excito: 1) 20. 3, 2—11: (2) *cum revocatur, cum reperitur,* (3) *cum opponitur,* (4) *cum venerint, si praestrinxerint,* (5) *si inhaeserint,* (6) *si formaverit,* (7) *cum disparatur,* (8) *si non posssit,* (9) *cum concurrerit,* (10) *cum gerit, cum migraverit, cum coeperit et pervenerit,* (11) *cum steterit.* Similiter 2) 14. 6, 12—14: (12) *si introieris,* (13) *cum feceris, si dederis et defueris,* (14) *cum coeperint, si placuerit.* 3) 27. 11, 2 *erat . . . timidus ad audaces, contra timidus celsior, ut videretur cum sibi fideret, de cothurno strepere tragico et ubi paveret, omni humilior socco.*

Coniunctio *ubi* raro obviam fit neque cum praesentis coniunctivo neque indicativo conexa legitur.

Nunc ad ea, quae contendi, probanda exempla dabo:

1. Particulam *si* omitto, quoniam Dederichsus hanc bene pertractavit.

2. *Cum.* a. Praesentis indicativus: 15. 8, 15 *nam contra cum hastis clipei feriuntur, irae documentum est et doloris*; 20. 3, 2 *revocatur, reperitur,* (3) *opponitur,* (7) *disparatur,* (10) *gerit*; 21. 1, 11 *aperiunt tunc quoque ventura cum aestuant hominum corda sed locuntur divina*; 21. 1, 12 *tum fixa sunt* (somnia) ... *cum . . . ocularis pupilla neutrubi inclinata rectissime cernit*; 24. 3, 8 *quod cum vere atque ex animo dicitur, solet armorum crepitu leni monstrari*; 25. 3, 19 *timidus est et ignavus, qui cum non oportet, mori desiderat . . .*; 27. 9, 5 *quod saepe contingit, cum . . . non nulli sortis iniquitate plectuntur innoxii*; 30. 4, 20 *quam* (ferociam) *tunc effutiunt cum commissarum sibi causarum infirmitatem rationibus validis convallare non possunt.*

b. Praesentis coniunctivum perraro legimus:

25. 3, 19 . . . *est* . . . *ignavus,* . . . *qui refugiat, cum sit oportunum* (sc. *mori*).

c. Perfecti indicativus: 28. 4, 10 *Ex his quidam cum salutari pectoribus oppositis coeperunt, osculanda capita . . . obliquantes, adulatoribus offerunt genua suavianda,* ubi *coeperint* scribendum esse censeo, cum hic locus unus perfecti indicativum exhibeat (cf. paulo infra).

d. Perfecti coniunctivus: 14. 2, 7 *cum edita montium petere coeperint grassatores, loci iniquitati milites cedunt*; 14. 6, 13 *cum eadem postridie feceris, ut incognitus haerebis*; 14. 6, 14 *cum coeperint*; 20. 3, 4 *cum venerint,* (9) *et cum ad idem signum aequis partibus soli concurrerit* (luna) *obscuratur; ...*(10) *cum migraverit; ... cum autem sole longo coeperit interstitio summoveri et ad quartum pervenerit signum, radiis eius ad se conversis maius concipit lumen. ...* (11) *e regione vero cum normaliter steterit contra, lumine pleno fulgebit*; 21. 1, 11 *sol enim . . . nostras mentes ... cum eas incenderit vehementius, futuri conscias reddit*; 22. 14, 8 *cumque...* (bos) *inductus in thalamum esse coeperit sacer, . . . signa rerum futurarum dicitur demonstrare.*

Similiter: 22. 15, 12 *coeperit* — 8, 42 *placuerit,* — 8, 43 *fuerit ventum* — 15, 22 *coeperit,* — 23. 4, 3 *venerit* — 4, 6 *ventum fuerit* — 5, 21 *fuerit ventum* — 6, 11 *patuerit* — 6, 16 *coeperit,* — 25. 2, 6 *cohaeserit,* — 30. 4, 15 *dederint* — 4, 16 *venerint,* sescenta alia.

Particulam *cum* saepissime cum verbo *coeperit* iunctam legi non mirabimur, si peculiaris usus particulae *quoad* aliarumque meminerimus.

Atque hi quidem loci maxime eam sententiam comprobant, quam supra, ubi de temporum usu disserui, protuli: Ammianum formas compositas passivi atque imprimis coniunctivi praeter certas quasdam formas Livianas omnino vitare, cf. pag. 37 sq. Videmus enim particulam *cum* esse coniunctam vel cum perfecti coniunctivo activi vel cum praesentis indicativo passivi ad effugiendum coniunctivum perfecti passivi in *-um sit* exeuntem, quam formam in his sententiis exstare vix puto.

3. *Ubi.* 14. 2, 7 *ubi autem in planitie potuerint reperiri,*

... *pecudum ritu inertium trucidantur*; 18. 7, 5 *at ubi solis radiis exarserit tempus, ...* (leones) *agitantur*; 22. 15, 20 *audax tamen crocodilus monstrum fugacibus; ubi audacem senserit, timidissimum.*

4. *ut, quotienscumque* cum perfecto vel praesenti iuncta non inveniuntur.

5. Enuntiationes relativae (*quisquis, quicunque, qui*) iterativam vim praebentes cum perfecti coniunctivo construuntur: 23. 4, 5 *muro saxeo huius modi moles imposita disiectat quidquid invenerit subter concussione violenta*; 23. 4, 12 *conseruntur autem eius frontalibus ... cuspides ... ponderibus ferreis graves, ... ut quicquid petierit aculeis exsertis abrumpat*; 23. 6, 17 *In his pagis hiatus quoque conspicitur terrae, unde halitus letalis exsurgens quodcumque animal proxime steterit odore gravi consumit.*

B. Alteram legem Dederichsus hanc fere statuit: *In eis enuntiatis condicionalibus* (nec non in temporalibus, relativis), *quae pertinent ad res praeterito tempore vere factas et iteratam habent significationem, imperfectum vel plusquamperfectum coniunctivi adhibetur. In apodosi plerumque imperfectum invenitur.* Cui haec addenda sunt: primum, particulam *cum* nusquam cum plusquamperfecto construi; deinde coniunctione *ubi* bis cum imperfecti coniunctivo, semel cum indicativo usum esse Ammianum; denique particulam *ut* semel cum indicativo, nunquam cum coniunctivo conexam inveniri.

Exempla sunt haec:

1. De *si* cf. Dederichsus pag. 9. 10, Hassensteinus p. 43.

2. *Cum*: Imperfecti coniunctivus: 14. 2, 2 *quos cum in somnum sentirent effusos ... eisdem sensim nihil opinantibus adsistebant*; 21. 16, 6 *somno contentus exiguo, cum id posceret tempus et ratio*; 27. 4, 9; 27. 11, 2; 27. 12, 14 *Sapor inmensum quantum astutus et, cum sibi conduceret, humilis aut elatus.*

3. *Ubi*: Imperfecti coniunctivus: 27. 11, 2 *erat ... ubi paveret, omni humilior socco.*

Plusquamperfecti coniunctivus: 25. 4, 5 *ubi vero exigua dormiendi quiete recreasset corpus laboribus induratum, expergefactus explorabat ... vigiliarum vices et stationum.*

Imperfecti indicativus: 27. 7, 8 *ubi debitorum aliquem . . . nihil reddere posse dicebatur, interfici debere pronuntiabat.*

4. *Quotienscumque*: 16. 10, 18 *venenum bibere per fraudem inlexit, ut quotienscumque concepisset, inmaturum abiceret partum.*

5. *Ut*: 26. 10, 11 *nam ut quisque ea tempestate ob quamlibet voluerat causam, . . . ut familiaris suscipiebatur et fidus.*

6. Enuntiationum relativarum modus est modo indicativus, modo coniunctivus:

Indicativus: 14. 4, 1 *ultro citroque discursantes quicquid inveniri poterat momento temporis parvi vastabant*; 22. 11, 7 *quicquid poterant in eius perniciem . . . concitabant.*

Coniunctivus: 14. 1, 5 *sed quicquid Caesaris implacabilitati sedisset, id velut fas . . . confestim urgebatur impleri*; 14. 5, 2 *quicquid increpuisset, ad salutis suae dispendium existimans factum . . . insontium caedibus fecit* (pro 'faciebat') *victoriam luctuosam.* (3) *siquis enim . . . rumore tenus esset insimulatus fovisse partes hostiles, capite . . . damnabatur*; 16. 10, 8; 16. 12, 33; 17. 3, 2 *Cumque Florentius . . . quicquid in capitatione deesset, . . . se supplere firmaret . . . hoc sinere fieri memorabat*; 19. 3, 2 *intacto ubique milite quicquid geri potuisset* (= posset) *impleri debere aperte iubentes*; 24. 4, 16.

B. SENTENTIAE CAUSALES.

1. Recte Hassensteinus scripsit: '*Coniunctionem* cum *nonnullis locis, quibus causalem habet sensum, tamen sequitur indicativus*'. Cf. 19. 11, 4 *barbaros observabat . . . invadere hiemis durissimo cogitantes, cum necdum solutae nives amnem undique pervium faciunt nostrique pruinis subdivales moras difficile tolerabant*; 27. 2, 11 *quae superfluum est explicare, cum neque operae pretium aliquod eorum habuere proventus, nec historiam producere per minutias ignobiles decet*; 24. 4 10; 31. 15, 1.

In eodem verborum ambitu *cum* et coniunctivum et indicativum regit hoc loco: 14. 2, 13 *cum neque adclivitas*

ipsa sine discrimine adiri letali . . . possit nec procedebat ullum obsidionale commentum maesti excedunt.

2. Particula *quod* modo e verbis affectuum pendet, modo praecedenti adverbio *ideo* vel *ea re* respondet; quae correlatio ubi fit, omnibus locis indicativus — plerumque imperfecti — exstat: *ideo quod*: 16. 4, 1; 30. 7, 6; 30. 6, 5; *hac ratione quod*: 16. 1, 5; *ea re quod*: 16. 7, 4; 17. 9, 6; 18. 3, 6; 19. 2, 10; 20. 11, 13; 21. 13, 16; 31. 10, 13; 23. 4, 7; 5, 6; 6, 20; 26. 6, 17; 10, 8; 27. 3, 4; 29. 3, 4; 6, 19; 30. 7, 2; *ex eo quod*: 23. 4, 7.

Ubi autem *quod* verba affectuum sequitur, Ammianus similem temporis et modi usum sequitur atque ille est, quem sibi proposuit in sententiis, quae a particula *quod* incipiunt et locum accusativi cum infinitivo tenent. Plerumque *quod* cum indicativo coniungitur. Neque tamen desunt loci, quibus coniunctivum legamus, si in enuntiatione primaria tempus praeteritum exstat, qua in re Graecum usum Ammianus manifesto ita imitatur, ut coniunctivum optativo respondentem faciat. Accedit quod consecutio temporum vulgo observata prorsus neglegitur: Imperfectum enim vel plusquamperfectum coniunctivi ponitur, si in oratione directa imperfectum vel plusquamperfectum indicativi scribi oportuit, perfectum coniunctivi pro perfecto indicativi orationis directae usurpatur.

Exempla haec habes:

Indicativus: 14. 2, 1 *hac . . . indignitate perciti . . ., quod . . . obiecti sunt.*

Coniunctivus imperfecti: 14. 10, 3 *saeviebat hoc inritatior, quod nec subsidia vivendi suppeterent*; 15. 3, 6 *maerebantque docti quidam, quod apud Atalanteos nati non essent*; 20. 4, 13 *maesti, quod eos fortuna quaedam inclemens . . . dispararet.*

Coniunctivus perfecti: 14. 7, 14 *iratus nimirum quod . . . praefectum . . . iusserim custodiri*; 16. 5, 12 *hisque indigna pati querentibus, quod non sit morte multatus, responderat*; 21. 13, 7 *solacio uno sustentabatur, quod intestinos semper superaverit motus*; 28. 2, 9 *id conmeruisse saevo iudicatus arbitrio, quod evaserit solus*; 22. 4, 6.

3. Ad particulas causales *quia, quoniam* quae pertinent, infra afferam pag. 70.

C. SENTENTIAE CONCESSIVAE VEL ADVERSATIVAE.

De particulis concessivis Dederichsus pag. 25 et Hassensteinus pag. 42 pauca disputaverunt. Rem amplius ac planius ita retractabimus, ut quas leges singulares Ammianus sibi finxerit, ostendamus.

1. *Cum* modo cum indicativo, modo cum coniunctivo construitur.

Coniunctivus sequitur: 14. 1, 8 *abrupte mariti fortunas trudebat in exitium praeceps, cum eum potius lenitate feminea ad veritatis viam reducere . . . deberet*; 14. 7, 18; 14. 9, 5; 15. 5, 18; 20. 8, 6; 30. 9, 1.

Indicativus: 21. 1, 4 *ambitioso diademate utebatur . . . cum inter exordia principatus vili corona circumdatus erat*; 26. 3, 5 *isque . . . cum vitae pudere debet et culpae, non abolendae incubuit maculae*; 30. 8, 3 *ut nullum . . . eriperet morte . . ., cum id etiam principes interdum fecere saevissimi*; 29. 1, 22 *nullam esse crudeliorem sententiam ea, quae est, cum parcere videtur, asperior.*

Ammianus *cum* coniunctionem primum coniunctivum, deinde indicativum, vel inverso ordine hunc deinde illum sequi vult: cf. 17. 5, 13 *est enim absonum et insipiens cum . . . placatae sint aurae invidiae, . . . cum . . . totus orbis Romanus nobis obtemperat ea prodere, quae . . . diu servavimus*; 31. 14, 6 *illud quoque ferri non poterat quod, cum legibus lites . . . committere videri se vellet, destinatisque velut lectis indicibus negotia spectanda mandabat, nihil agi contra libidinem suam patiebatur.*

2. *Quamquam.* Omnia enuntiata ex particula *quamquam* pendentia collegi, collecta has mihi praebuerunt leges, quas Ammianus aut sciens aut nesciens observavit:

I. Enuntiatum concessivum modo ante sententiam primariam modo post ponitur. Quodsi praecedit, apodosis omnibus locis praeter duos a particula *tamen* incipit.

II. Sin autem sententia maior praecedit, particula *tamen* deest.

III. In enuntiatione secundaria indicativus temporis

praeteriti usurpatur, si enuntiatum primarium praecedit. Cf. 16, 4, 4 *Caesar providebat...*, *ut... labori quies succederet, ... ad recreandas ... vires, quamquam ... terrae saepe vastitatae exigua quaedam victui congrua suggerebant*; 16. 12, 46 *ferratae ... arundines fundebantur, quamquam etiam comminus mucro feriebat contra mucronem*; 19. 9, 3 *Uxor ... maerebat...*, *quamquam sperabat*; 31. 13, 19 *nec ulla ... ita ad internecionem res legitur gesta, quamquam Romani aliquotiens ... iniquitati cesserunt ad tempus.*

IV. Si sententia concessiva sententiae primariae praecedit, hanc rationem Ammianus videtur observasse:

a) Si in apodosi imperfectum positum est, in protasi imperfecti coniunctivum invenies: 15. 5, 8 *Et quamquam utilia moneret ...*, *ventis tamen loquebatur incassum*; 5, 23 *et quamquam... obiceremur...*, *tamen ... mirabamur*; 22. 1, 2 *et quamquam haec laetifica sciret, ... tamen ... se continebat*; 22, 14, 3 *et quamquam ... indignaretur, tacens tamen ... sollemnia celebrabat*; 21. 12, 14 *et quamquam ... antistarent, ... tamen ... miles ... suburbana omnia circumibat.*

Deest particula *tamen* his duobus locis: 24. 6, 6 *et ... miles quamquam... vexaretur ... stabat immobilis*; 28. 1, 19 *quamquam incurvus sub eculeo staret, pertinaci negabat instantia.*

In exceptionum numero ponendi sunt hi duo loci, qui indicativum in protasi praebent: 22. 5, 1 *Et quamquam ... inclinatior erat erga numinum cultum ...*, *multa metuens tamen agitabat quaedam*; 25. 2, 4 *Et quamquam ad momentum haesit stupore defixus, omni tamen superior metu ventura decretis caelestibus commendabat.*

b) At ubi perfectum in apodosi positum est, indicativus in protasi legitur: 20. 8, 4 *quamquam eum haec dudum conperisse opinabatur, ... tamen ... scripsit*; 27. 7, 4 *Et quamquam Valentinianus ... impetus truces retinere non numquam ... nitebatur, ... ⟨aliquamdiu⟩ licentius erupit ad perniciem plurimorum*; 29. 5, 39 *quamquam igitur ... imminebant, ... tamen ... flexit*; 20. 7, 10 *Et q. q. dabant ... tamen cessavere*; 22. 3, 10 *Et q. q. haec ... eius dis-*

plicuere fautoribus, sequentia tamen severitatis recto vigore sunt gesta.

c) Ubi in apodosi praesens usurpatur, in sententia concessiva aut praesentis coniunctivum aut temporis praeteriti indicativum collocatum videmus:

α. Praesentis coniunctivus: 20. 3, 7 *et q. q. hoc . . . semper eveniat, non semper deficit tamen*; 29. 2, 24 *et q. q. sint multa et varia . . . pauca tamen dici sufficiet.* Eadem lex valet, si sententia concessiva primariam sequitur: 26. 10, 14 *quae leviora quibusdam videntur, quamquam sit aspera.*

β. Temporis praeteriti indicativus: 22. 10, 2 *et quamquam in disceptando aliquotiens erat intempestivus, . . ., tamen nulla eius definitio litis a vero dissonans reperitur*; 22. 16, 17 *et q. q. veteres . . . floruere conplures, tamen ne nunc quidem in eadem urbe doctrinae variae silent*; 23. 6, 54 *et q. q. pleraque sunt ibi deserta soli aquarum penuria, quaedam tamen habent oppida.*

Certe nulla particula apud Ammianum invenitur, quae sine ullo sententiae discrimine usum tam varium, tam mire discrepantem a consuetis syntaxeos legibus praebeat. Habemus denuo exemplum manifestum absurdae cuiusdam proprietatis Ammianeae. Sane persuadere mihi non possum Ammianum nescientem atque invitum leges, quas constitui, tam mira constantia observasse.

3. Simili nec tamen aeque abstrusa ratione particulam *licet* adhibet, qua nulla particula concessiva frequentius apud eum nobis occurrit. Sententia secundaria plerumque primariam praecedit a coniunctione *tamen* incipientem. Ammianus eam legem observat, ut praeter duos locos coniunctivum in protasi ponat, si in apodosi praesens vel futurum exstat; sed tempus praeteritum modo indicativus modo coniunctivus sequitur:

I. a. In protasi praesens (perfectum) coniunctivi, in apodosi praesens indicativi:

14. 6, 6 *et olim licet otiosae sint tribus . . ., per omnes tamen quotquot sunt partes terrarum, ut domina suscipitur*

(Roma); 14. 8, 6; 15. 10, 8; 18. 1, 3; 22. 9, 10; 16, 12; 16, 18; 23. 6, 47; 6, 84; 31. 14, 3; 25. 4, 16.

A regula recedunt: 20. 3, 3 *ac licet . . . conveniunt, tamen sol . . . obducitur*; 28. 5, 7 *ac licet iustus quidam arbiter rerum factum incusabit perfidum . . ., pensato tamen negotio non feret indigne.*

II. b. Protasis et apodosis imperfecti indicativum praebent: 16. 10, 11 *quae licet adfectabat, erant tamen haec . . . patientiae non mediocris indicia*; 15. 7, 1; 19. 9, 9; 20. 11, 9; 11, 14; 21. 12, 12; 24. 1, 4.

c. Protasis imperfecti coniunctivum praebet, apodosis imperfecti indicativum: 15. 5, 33 *licet enim . . . obligatum gratia retineret Constantium, ut dubium tamen et mutabilem verebatur*; 15. 7, 10; 18. 8, 13; 19. 11, 9; 21. 14, 1; 23. 1, 2; 27. 7, 8.

d. Protasis perfecti indicativum, apodosis imperfecti indicativum: 26. 2, 4 *licet existimarunt — tamen erat*; 27. 11, 2 *licet potuit — erat tamen.*

e. Protasis imperfecti coniunctivum, apodosis perfectum: 14. 11, 6 *quae licet ambigeret metuens saepe cruentum, spe tamen quod eum lenire poterit . . . absumpta est vi febrium repentina*; 24. 2, 15; 25. 8, 14; 26. 8, 14; 29. 2, 5.

f. Protasis et apodosis perfecti indicativum exhibent: 18. 4, 5 *iuvat veterem laudare Domitianum, qui licet . . . memoriam nominis sui inexpiabili detestatione perfudit, tamen receptissima inclaruit lege*; 20. 6, 9 *licet . . . locavit — tamen fuit*; 30. 7, 11.

III. g. Condicionalis sensus inest in imperfecti coniunctivo: 28. 1, 2 *ac licet ab hoc textu cruento . . . iustus me retraheret metus . . . tamen . . . carptim ut quaeque memoria digna sunt explanabo.*

4. Particularum *tametsi*, et *quamvis* usum Dederichsus (p. 24. 25) bene explanavit: *Tametsi*, quod bis legitur, nisi cum coniunctivo non coniungitur: 22. 14, 1 et 25. 3, 17. *Quamvis* indicativo et coniunctivo imperfecti adiunctum occurrit: 24. 2, 5; 25. 3, 10; 31. 3, 2.

5. *Etsi* coniunctionem semel sequitur indicativus: 20.

2, 4 *etsi me... despicit imperator, negotii tamen est magnitudo, ut . . .*

6. *Etiamsi*: a. cum coniunctivo potentiali: 14. 2, 6 *etiam si . . . ad vertices venerint summos, . . . consternuntur*; 29. 2, 24 *ratio enim eadem est ubique recte secusve gestorum, etiam si magnitudo sit dissimilis rerum.* b. cum indicativo in oratione obliqua: 17. 11, 2 *legimus in veteres . . . duces vitia criminaque, etiam si inveniri non poterant, finxisse malignitatem.*

7. *quamlibet* ter legitur: cum indicativo, ubi in apodosi futurum, cum coniunctivo, ubi in sententia primaria praeteritum tempus praebetur: 28. 1, 43 *Et quamlibet tempestivum est, . . . tamen . . . inmorabimur*; 29. 5, 44 *quamlibet facto in hostem impetu . . . aperuerit viam . . ., tamen . . . revertit ad . . . castellum*; 28. 2, 12 *et quamlibet coniurati multorum opes attriverint, oestroque concepti furoris exagitati caedes edidere luctificas, sanguinis nihilo minus avidi quam praedarum,* quem locum foede depravatum — Cod. V: *adtribuerint* [lacuna 8 litt.] *troque*; Gelenius: *adtribuerentur tamen oestro* — sic redintegrandum esse censeo: *et quamlibet coniurati multorum opes attribuerint sibi, tamen oestro concepti furoris exagitati caedes edidere luctificas, sanguinis nihilo minus avidi quam praedarum.* Praedicatum, quod est *attribuere*, cum et in codice Vaticano et apud Gelenium servatum sit, omnino retinendum est. Deest autem dativus ad verbum *attribuendi* pertinens, qui nullo alio loco nisi in lacuna, quae post *attribuere* exstat, latere potest. Facile conieceris hunc dativum *sibi* fuisse. Quod vocabulum in illo vetusto libro, ex quo archetypus codicis Vaticani et Gelenianae editionis descriptus est, vel iam deerat vel ita corruptum erat, ut a librario archetypi dispici non posset. Collato 29. 5, 44, ubi *quamlibet* cum coniunctivo constructum exstat, in hanc coniecturam facile ducimur, ut *attribuerint* cum codice Vaticano scribamus neglecta Gelenii lectione *attribuerentur* apto sensu carente. Manifestum enim est Gelenium, cum imperfecti coniunctivum in verborum contextum insereret, rectam temporum convenientiam restituere voluisse. Cum Gelenio autem *tamen oestro* legendum est deleto *que*, quod idoneo

sensu destitutum est. Post vocabulum *praedarum* verborum ambitum puncto concludas oportet, siquidem coniunctione *sed* a Gelenio recte tradita Ammianus orationem ita abrumpit, ut a generali re ad certa quaedam exempla transeat.[1]

D. SENTENTIAE INTERROGATIVAE OBLIQUAE.

Ammianum in usu modorum consuetudinem dicendi Graecorum secutum esse cum in enuntiationibus interrogativis indirectis tum in iis sententiis, ubi *quod* particula accusativi loco cum infinitivo posita est, Kallenbergus breviter exposuit.

Ac primum quidem de sententiis interrogativis indirectis mihi dicendum est. Etsi Kallenbergo concedendum est Ammianum in sententiis interrogativis coniunctivum ponere solere, ubi antecedat tempus praeteritum, tamen non recte vir doctus contendit indicativum saepius usurpari praecedente praesenti vel futuro. Immo, si rem accuratius pervestigaveris, indicativus non minus saepe tempus praeteritum quam praesens sequitur. Itaque si praeteritum tempus in enuntiatione primaria exstat, coniunctivus in enuntiatione interrogativa plerumque collocatur, sed indicativus locum habere potest, sive tempus praesens sive praeteritum usurpatur in sententia primaria.

I a. Indicativus, ubi in enuntiato primario tempus praesens vel futurum exstat: 14. 6, 2 *mirari posse... existimo...,* *quam ob rem... narratur*; 14. 6, 14 *tractatur an... conveniet*; 14. 10, 13 *ut . . . ostendam qua ex causa omnes vos simul adesse volui*; 14. 10, 15 *vos quid suadetis opperior*; 16. 12, 10 *quid . . . censeo . . ., paucis absolvam*; 16. 12, 18 *experieris, quid miles . . . efficiet*; 19. 4, 1 *quae genera morborum unde oriri solent breviter explicabo*; 14, 6, 22; 20. 8, 17; 5, 4; 7, 1; 21. 6, 1; 23. 6, 42; 25. 3, 10; 3, 15; 4, 8; 26. 7, 15; 29. 2, 15; 31. 2, 10; 10, 18.

I b. Indicativus, ubi in enuntiato primario tempus praeteritum exstat: 14. 7, 14 *iratus . . . quod . . . praefectum,*

---

[1] Ammiano magnopere placuisse *licet* adiectivo vel participio praefixum iam Hassensteinus pag. 34 demonstravit. Item Dederichsus de simili usu coniunctionis *quamvis* nonnulla monuit pag. 25.

quid rerum ordo postulat ignorare dissimulantem . . . iusserim custodiri; 14. 11, 21 *conpulsuri eum . . . docere, quam ob causam quemque . . . necatorum iusserat trucidari*; 16. 11, 12 *quae utrum ut vanus gerebat . . ., an mandatu principis confidenter nefanda multa temptabat, . . . latuit*; 18. 3, 5 *supervixit, penitus quid erat gestum ignorans*; 20. 11, 5 *flebat . . . reputans, qualis miseranda civitas pertulerat clades*; 21. 5, 1 *coniectans, quantas . . . excitaverat moles, . . . existimavit*; 26. 1, 1; 26. 5, 9 *ignorabat utrum Valente superstite an exstincto memoratus imperium adfectarat*; 27. 5, 1 *est missus cogniturus . . ., quam ob causam . . . dederat*; 28. 6, 9 *verbis, quae perpessi sunt, ostenderunt*; 28. 6, 17; 29. 1, 32 *quaerentibus nobis, qui praesenti succedet imperio, . . . exclamavit*; 29. 4, 2; 31. 15, 9 *quid acturi venerant, . . . confessi.* Conf. etiam 14. 11, 15.

II. De enuntiatis interrogativis, in quibus coniunctivus exstat, iam supra dixi pag. 20 sq.

E. SENTENTIAE A PARTICULA *quod* LOCUM ACCUSATIVI CUM INFINITIVO TENENTE INCIPIENTES.

Accusativus cum infinitivo q. d. apud posteriores scriptores paulatim vulgari usu particulae *quod* superatur. Cuius coniunctionis usus apud Ammianum iam late patet, quippe qui simili graecae linguae usu (ὅτι) commotus sit, ut hanc particulam praeferret; hoc autem proprium habet, ut plerumque (80 %) particula *quod* participium vel infinitivum sequatur, multo rarius (20 %) verba finita. In libris 15. 19. 25. 26. 27. 29. 31 *quod* nusquam e verbo finito, sed ubique vel e participio vel ex infinitivo pendens mihi occurrit. Cui usui singulari adeo studet Ammianus, ut, dum scriptorem antiquiorem exscribit, non dubitet locos ad suam mutare normam, i. e. pro accusativo cum infinitivo particulam *quod* substituere. Ita Ammianus Ciceronis locum Tusc. 1. 17, 40 *num igitur dubitabimus sicut pleraque — quamquam hoc quidem minime; persuadent enim mathematici — terram . . . obtinere,* hoc modo mutat: 15. 1, 4 *audiens quod — ut docent mathematici . . . — ambitus terrae . . . obtinet.* Quo artificio cum uteretur Ammianus, simul id po-

tissimum appetivisse videtur, ut orationem suam participiorum atque infinitivorum mole cumulatam et periodis perplexis atque confusis abundantem aliquo modo perspicuam redderet. Idem non raro in eodem verborum ambitu primum accusativum cum infinitivo, deinde particulam *quod* vel inverso ordine primum particulam *quod*, deinde accusativum cum infinitivo, ut similitudinem, satietatis matrem, vitaret, usurpavit: 18. 6, 16 *docetque quod . . . ad Persas abierat profugus, exindeque . . . speculatorem se missum ad nostra, saepe veros nuntios reportasse. at nunc se . . . redire.* 30. 1, 17 *eum callere fingentes: addentesque quod . . . excitabit*; 30. 6, 2 *nihil . . . delictum adseverantes . . ., sed per . . . latrones . . . evenisse . . ., etiam id quoque addendo, . . . quod . . . accendit*; 29. 2, 9 *fratres . . . agitasse . . . detulit, addens . . ., quod . . . indumenta parata sint*; 28. 6, 19; 25. 4, 2 *illud advertens, quod apud Platonem legitur, Sophoclem . . . id adiecisse, quod gauderet*; 25. 3, 15 *contemplans . . . laetandum esse . . . advertens quod . . . persolverunt*; 24. 6, 5 *signum sibi datum nostros, quod margines iam tenerent, . . . erexisse proclamans*; 24. 1, 10 *adfirmans . . . se . . . praedixisse, quod centenario iam contiguus sepelietur in solo Romano*; 22. 2, 1 *defunctum Constantium nuntiantes, addentesque quod . . . fecerit*; 15. 5, 7; 14. 11, 22 *valuit loqui, quod plerosque . . . iugulaverit Constantina, ignorans . . . Alexandrum Magnum . . . matri . . . respondisse.* Conf. etiam 16. 8, 4.

Cum plerique eiusdem aetatis scriptores coniunctivo utantur, Ammianus multo saepius (75 %) indicativum quam coniunctivum usurpat. Atque particulam *quod* nusquam coniunctivo adiungi posse, nisi tempus praeteritum antecedat, iam Kallenbergus perspexit; sed cum nonnulla exempla, quibus *quod* cum indicativo iungitur, non attulerit, ego ad unum omnia congeram: **14.** 7, 5; 10, 12; 11, 10; 11, 11 (cf. pag. 45); 11, 6; 10, 14; 7, 11; 7, 12; 11, 7; **15.** 5, 7; 5, 6; 1, 4; **16.** 8, 4; 12, 15; 9, 4; 5, 1; **17.** 5, 8; 4, 12; **18.** 6, 16; 6, 2; **19.** 11, 7; 9, 5; 12, 10; **20.** 8, 10; 2, 4; 5, 5; 7. 9; 9, 6; **21.** 6, 2; 13, 15; 1, 13; 5, 8; **22.** 15, 7; 11, 6; 8, 37; 3, 8; **23.** 5, 21; 5, 11; 6, 74; 6, 21; 5, 11; 6, 24; **24.** 7, 5; 1, 10; **25.** 4, 3; 10, 6; 3, 16; 3,

15; 26. 7, 9; 8, 13; 1, 1; 27. 6, 7; 28. 4, 21; 6, 19; 29. 4, 1; 2, 17; 5, 24; 3, 9; 2, 12; 30. 1, 22; 5, 17; 8, 8; 1, 23; 8, 2; 31. 14, 8; 3, 8; 9, 1.

In temporum usu hanc normam observavit Ammianus: Imperfecti coniunctivo tum utitur, cum in oratione directa praesens vel futurum I vel perfectum logicum exspectatur (rarissime praesentis coniunctivus per repraesentationem positus mihi occurrit, veluti 30. 2, 4), sed perfecti coniunctivo — omni temporum convenientia omissa — tum, cum in directa oratione tempus praeteritum ponendum erat. Excipiendae tamen sunt ex hac regula sententiae condicionalem vim irrealem habentes, quae ab Ammiano recte cum imperfecti coniunctivo construuntur.

I. Imperfecti coniunctivus: 25. 4, 2 *advertens, quod apud Platonem legitur, Sophoclem . . . id adiecisse, quod gauderet . . . amorem . . . effugisse* (= gaudeo amorem effugisse); 24. 6, 5 *signum sibi datum nostros, quod margines iam tenerent, . . . erexisse proclamans*; 22. 6, 3 *pollicitus quod ipse quoque protinus veniret*; 14. 11, 11 *vultu adsimulato saepius replicando quod . . . eum videre frater cuperet . . . participemque eum suae maiestatis adsciscet* (cf. pag. 29 et 45); 14. 11, 7 *ad hoc unum mentem sollicitam dirigebat* (= hoc unum mente sollicita recogitabat), *quod Constantius . . . suscipiet . . . nec ignoscet, sed . . . si cepisset incautum, morte multaret* (si ceperit, multabit); 24. 8, 6 *arbitrabantur . . . duces adventare iam nostros rumoribus percitos, quod . . . oppugnaret*; 21. 10, 2; 20. 7, 7; 19. 11, 13; 17. 1, 12; 21. 7, 3; 20. 9, 9; 29. 6, 3; 24. 7, 3; 24. 7, 5; 20. 4, 8; etc.

II. Perfecti coniunctivus. 22. 2, 1 *addentesque, quod eum voce suprema successorem suae fecerit potestatis*; 21. 14, 2 *confessus est . . ., quod . . . secretum aliquid videre desierit*; 28. 6, 19 *se quoque mox referre firmavit, quod . . . donativum militis omne in quaestus averterit proprios*; 29. 2, 9 *Eusebium et Hypatium . . . detulit, addens . . ., quod Eusebio etiam principalia indumenta parata sint*; 14. 11, 22.

III. Imperfecti coniunctivus cum condicionali vi irreali: 20. 8, 22 *cuius* (i. e. Florenti praefecti) *post abitum bene Iulianus cogitans . . . scirique*

volens, quod praesenti quoque pepercisset, caritates eius . . . ad orientem redire tutius inperavit.

F. SENTENTIAE CONDICIONALES.

De sententiarum condicionalium usu cum Dederichsus egregie egerit, hanc rem retractare nolo.

II. DE CONIUNCTIONIBUS CUM SOLO INDICATIVO CONSTRUCTIS.

Rarae sunt apud Ammianum eae sententiae secundariae coniunctionibus introductae, in quibus modus coniunctivus indicativi locum omnino nusquam usurpavit. Quattuor particulae solae indicativum merum servarunt: *postquam, quamdiu; quoniam, quia.* Ex his *quamdiu* et *quia* semper cum indicativo coniunguntur, *postquam* et *quoniam* singulis tantum locis cum coniunctivo.

A. SENTENTIAE TEMPORALES.

1. *Postquam* particulam plerumque perfecti indicativus sequitur: 16. 10, 20 *quibus percitus tricensimo postquam ingressus est die . . . ab urbe profectus . . . in Illyricum festinavit.* Poterat hoc loco plusquamperfecto uti Ammianus, quem differentiam illam, quae inter perfectum et plusquamperfectum intercedit, non satis curasse docuimus. Sane is quidem *postquam* cum plusquamperfecto iungit, ubi perfectum commendatur usu Liviano ac Tacitino. Nec dissimiliter Ammianus perfecto usus est hoc quoque loco: 20. 11, 11 *decimo itaque postquam pugnari coeptum est die, . . . transferri placuerat molem arietis magnam* (= postquam pugnari coeptum erat, placuit); conf. etiam: 18. 7, 1 *Postquam reges . . . transiere laetissimi, . . . quievimus*; 16. 12, 43 *sed postquam comminus ventum est, pugnabatur paribus diu momentis.*

Duobis locis *postquam* cum plusquamperfecti indicativo construitur: 14. 2, 12 *postquam abierat timor, vicos opulentos adorti . . . digressi sunt*; 17. 12, 16 *ingerebat autem se post haec maximus numerus catervarum . . ., suspendi a iugulis suis gladios obsecrantium, postquam Araharium inpune conpererant abscessisse.*

Unicus ille locus, quo plusquamperfecti coniunctivus

legitur, 30. 7, 11, attractione modi explicandus videtur: *illud elucere clarius potuit, si Macrianum ... vivum capere potuisset, . . . postquam eum evasisse Burgundios . . . didicisset.*

2. *Quamdiu* aut 'per idem tempus quo' significat aut 'usque ad id tempus quo', cuius usus Draegero (Synt. II p. 589) unum tantum exemplum innotuit ex Lamprid. Heliogab. 29, 7 *iubebat, ut semper id comesset, quamdiu tamen melius inveniret.* Addendi igitur sunt hi duo loci Ammiani: 25. 3, 11 *concursus itaque armatorum et cadentium gemitus, . . . audiebatur, quamdiu . . . nox diremit certamina iam tenebrosa*; 26. 10, 14 *nec modus ullus exitialibus malis inpositus, quamdiu principem et proximos opum satietas cepit et caedis.*

3. *Ut* particulae perraro eadem est vis, quae particulis *ubi primum* et *cum primum*: 20. 11, 24 *ut vero certaminibus finem vespera dedit incedens ..., imperator ... statuit inmorari.*

B. SENTENTIAE CAUSALES.

Particulae causales *quia* et *quoniam* Ammiano maxime in deliciis sunt.

Quoniam semel cum coniunctivo iungitur: 16. 12, 29 *et quoniam adloqui pariter omnes nec longitudo spatiorum extenta nec in unum coactae multitudinis permitteret crebritas, . . . cautior sui hostium tela praetervolans . . . ignotos ad faciendum fortiter accendebat.* Dederichsus de hoc loco ita disputat: *codex Vaticanus hoc loco praebet 'permitterent'; mea autem sententia restituendus est indicativus, qui plus quadraginta locis exhibetur.* At coniunctivum servandum esse censeo, cum sententia condicionalis sit: 'quoniam nec longitudo spatiorum nec crebritas multitudinis omnes adloqui permitteret, si voluisset — at noluit, immo vitavit — accendere conatus est'. Formam *permitteret*, ut saepe, pro plusquamperfecti coniunctivo scripsit Ammianus vulgari modo.

III. DE CONIUNCTIONIBUS CUM SOLO CONIUNCTIVO CONSTRUCTIS.

Cum coniunctivo solo construuntur coniunctiones hae:

1) finales: *ut*, *ne*. De repraesentatione, quae in finalibus sententiis fit, supra disputavi (pag. 17).

Particula *quominus* non nisi semel mihi occurrit: 26. 4, 6 *nihil obstare debebit quominus ea recuperaret.*

2) consecutivae: *ut, ut non.* De quarum particularum usu pag. 17 sq. ea, quae necessaria sunt, exposui.

Particulae *quin* perrarus est usus. Bis e locutione *non multum abest* pendet: 18. 6, 11 et 29. 6, 7; semel idem significat ac 'qui non': 22. 8, 14 *nulla celeritate pinnarum eripi poterat quin interiret.*

Verba dubitandi alium usum sequuntur: aut enim cum accusativo cum infinitivo (21. 13, 14 *nec enim dubium . . . ferrum . . . esse vertendum*) coniunguntur, aut tale aliquid habes, quale illud est, quod correlatione quodammodo excusatur: 14. 6, 21 *Illud . . . non dubitatur, quod . . . retentabant.*

3) De coniunctionum modalium usu copiose egit Dederichsus pag. 22. 23. 24. Sunt autem hae: *ut, velut, tamquam, quasi, ac si.* Quarum aliae nusquam (*ut, velut*), aliae perraro cum verbis finitis, omnes fere ubique cum participiis iunctae usurpantur.

4) De sententiis relativis. Sententiae relativae, quae finalem vel consecutivam vel restrictivam vel condicionalem vim habent, plerumque cum coniunctivo non secus ab Ammiano construuntur quam ab aureae latinitatis cultoribus:

a) Sententiae finales: 14. 9, 1 *occultis Constantium litteris edocebat inplorans subsidia, quorum metu tumor notissimus Caesaris exhalaret*; 20. 11, 17 *paratis qui restinguerent*; 21. 8, 3 *misit . . ., alios . . ., quo diffusi per varia opinionem numeri praeberent immensi*; 21. 10, 5 *revertitur . . ., quo inpraepedite cuncta disponeret*; 29. 2, 3 *inmittebantur confestim, qui . . . subderent*; 31. 4, 5 *mittuntur diversi, qui . . . transferant*; 31. 7, 3 *ubi* (= ut ibi) *barbaros . . . consumeret fames.*

b) Sententiae consecutivae: Coniunctivus exstat: 31. 15, 9 *nulla erat suspicio quae vetaret*; 28. 3, 1 *nihilque gregariis imperans, cuius non ipse primitias alacri capesseret mente*; 31. 2, 22 *nec quicquam est quod elatius iactent*; 21. 7, 1 *nullo post terga relicto quem formidaret*; 21. 3, 4; 20. 11, 20; 17. 11, 5; 17. 10, 9.

Rarius occurrit indicativus: 22. 16, 23 *et nulla tormentorum vis inveniri adhuc potuit, quae obdurato . . . latroni invito elicere potuit, ut nomen proprium dicat*; 27. 5, 3 *cum . . . nullum inveniret, quem superare poterat.*

Alternant coniunctivus et indicativus: 25. 3, 19 *timidus est et ignavus, qui cum non oportet, mori desiderat, et qui refugiat cum sit oportunum.*

c) Sententiae causales. Coniunctivus exstat in oratione indirecta: 17. 3, 5 (*quae . . . possent*).

Contra indicativus: 29. 2, 18 *O praeclara informatio doctrinarum . . ., quae vel vitiosas naturas saepe excoluisti!* Cicero, ex quo Ammianus hunc locum hausit, coniunctivo usus est: Cic. ad Quintum fratrem 1. 2, 7 *ea . . . adhibita doctrina est, quae vel vitiosissimam naturam excolere possit.*

d) Sententiae restrictivae. Coniunctivus exstat: 19. 12, 17 *nemo, qui quidem recte sapiat, reprehendit*; 17. 7, 11 *eas partes soli convibrant, quas subrepserint umidi.*

e) Sententiae condicionales. 31. 2, 22 *iudicatur ibi beatus qui in proelio profuderit animam* (fere = 23, 6, 44); 22, 15, 15 *crocodilus . . . quicquid contigerit pertinaciter petens.*

§ 3.

DE MODO IMPERATIVO.

Imperativo utitur Ammianus in allocutionibus ita, ut saepe vis adhortativa praevaleat. Neque ulla intercedit differentia inter formas imperativi praesentis et futuri q. d. Immo variantur ac mutantur simplices imperativi formae longioribus in *-to* cadentibus atque hae illis. Quibus imperativis cum non raro intermisceantur coniunctivi praesentis adhortativi, efficitur hanc formarum varietatem ab Ammiano dedita opera appetitam esse. Tenendum tamen est nullam aliam personam imperativi q. d. futuri usurpari nisi alteram singularis numeri. Exempla sunt haec: 20. 8, 11, 12 *Gestorum hic textus est, quem mente quaeso accipito placida. nec . . . existimes, vel admittas . . ., sed . . . adverte . . . et suscipito . . .; ignosce*; 15. 8, 13 *adesto . . . et . . . suscipe . . . et . . . consiste*; 16.

10, 16 *iubeto*; 22. 9, 11 *iube*; 17. 5, 11 *accipe*; 14. 10, 13 = 21. 13, 10 = 26. 2, 7 = 27. 6, 7 *accipite.*

Passivi formae nullae occurrunt nisi in deponentibus q. d. verbis: 21. 5, 6 *sequimini*; 22. 10, 5 *prosequere.*

§ 4.

I. DE INFINITIVO.

De infinitivo Ammianeo cum Hassensteinus nonnulla adnotavit, tum Kallenbergus egregiam commentationem in lucem edidit. Hoc unum addam, infinitivum futuri passivi in *-tum iri* nusquam exstare, sed pro eo gerundivum poni. Gerundivum enim vel participium futuri passivi (cf. Langenus Philol. 29 pag. 469 sqq.; Hassensteinus pag. 47) nonnullis locis necessitatis sensu abiecto non secus atque simplex futurum intellegendum est: 18. 5, 2 *cum omnibus se prospiceret undique periculis opprimendum* (= oppressum iri). Locos Ammianeos singulos enumerare supersedeo, praesertim cum a Langeno diligenter collecti sint. Ex his, quae exposuimus, apparet non recte Madvigium (in Adversariorum Criticorum volumine III Hauniae 1884 pag. 255 sq.) apud Ammianum 17. 5, 6 restituisse infinitivum futuri *iri acceptum.*

Infinitivus praesentis passivi nonnunquam locum futuri occupat: 14. 11, 19 *praestitutum erat eum vita et imperio spoliari*; 20. 7, 8.

II. DE SUPINO.

Supinum duodecies in toto Ammiano exstat. Usurpantur autem tres formae: septies dativus in *-u*, quater accusativus in *-um*, semel ablativus in *-o*. Ac certa quaedam verba sunt, in quibus Ammianus singulis supini formis utitur:

1. Accusativus: 22. 2, 3 = 29. 1, 18 = 19. 3, 3 = 23. 6, 40 *ereptum ire.*

2. Dativus: 31. 10, 18 *incredibile dictu*; 28. 1, 15 *narratu . . . digna*; 27. 7, 8 *dictu dirum et factu*; 31. 8, 7 *facta dictu visuque praedira*; 14. 11, 4 *optimum factu.*

3. Ablativus (more Plautino): 31. 12, 5 *quid facto opus esset.*

Dimittere hunc libellum non possum, quin pie recolam memoriam Guilelmi Studemundi praeceptoris mei carissimi, olim Argentoratensis nunc Vratislaviensis, qui in scholis Argentorati habitis cum alias permultas tum hanc, quam ego in hac commentatione tractavi, quaestionem ut institueremus, nos adhortabatur et ad strenue laborandum exemplo suo inflammabat. Nec dubito, quin, si diutius eius consiliis uti mihi licuisset, hic tironis libellus et correctior et perfectior multo evasurus fuerit.

